Version of June 2020. This PDF file is part of the new digital edition of Francisco Suárez's *Disputationes Metaphysicae* by Salvador Castellote (https://www.salvadorcastellote.com/investigacion.htm) and Michael Renemann (https://homepage.ruhr-uni-bochum.de/Michael.Renemann/suarez/).

# DISPUTATIO XV

## DE CAUSA FORMALI SUBSTANTIALI

Quoniam causa materialis et formalis mutuam habitudinem inter se dicunt, ideo eadem methodo qua de materia disseruimus, dicemus prius de forma substantiali, et postea de accidentali, nam quae de forma in communi desiderari poterant, vel tacta sunt in disputatione de causis in communi, vel explicabuntur distinctius in singulis membris, quae in illa ratione communi solum analogice conveniunt. Tractando autem de substantiali forma, complebimus ea quae de materia prima in hunc locum remisimus, propter intrinsecam connexionem inter ipsam et formam. Supponendum est autem hic non esse sermonem de forma extrinseca, quam exemplarem vocant, de qua infra dicemus, quia ut sic magis habet rationem efficientis quam formae. Neque etiam de forma separata, ut solet natura angelica aut immaterialis nominari, non propter causalitatem, sed propter actualitatem seu pulchritudinem; sed agimus de sola forma informante seu recepta in materia, quia illa est quae propriam et specialem habet rationem causae. Rursus vero dividi solet forma in physicam et metaphysicam: prior est quae veram et realem causalitatem formae exercet, et ideo de illa principalius dicendum est. Quamvis enim physica forma dicatur, vel quia naturam rei principaliter constituit, vel quia per motum physicum principalius investigatur priusque in scientia physica consideratur, non tamen est extra metaphysicam considerationem, tum quia ratio formae communis est et abstracta, tum etiam quia forma constituit essentiam, tum denique quia est una ex praecipuis causis. Quid autem per metaphysicam formam significetur et quomodo hanc rationem causae participet, in fine huius disputationis subiiciemus.

### *SECTIO I*

### *AN DENTUR IN REBUS MATERIALIBUS SUBSTANTIALES FORMAE*

1. *Dubii rationes*.— Ratio dubitandi est primo quia formae substantiales nullo experimento cognosci possunt, nec sunt necessariae ad omnes actiones et differentias rerum quas experimur; ergo non sunt sine causa introducendae. Antecedens patet, quia ignis, verbi gratia, sufficienter intelligitur in suo esse constitutus, si concipiamus quamdam substantiam habentem perfectum et summum calorem cum siccitate coniunctum, etiam si substantia his accidentibus subiecta sit simplex; et hoc etiam satis est ad omnem actionem ignis quam experimur et ad distinctionem inter ignem et aquam et ad transmutationem unius in aliud, quae in hoc videtur consistere quod illa substantia a summo frigore transit in summum calorem, et e converso. Hoc ergo satis est ad constitutionem, distinctionem et actionem elementorum; idem ergo proportionaliter sufficiet ad mixtorum compositionem, haec enim ex elementorum mixtione procreantur.

2. Secundo involvi videtur repugnantia cum dicitur forma informans et substantialis; nam vel est res subsistens et nullo indigens subiecto sustentante vel illo indiget; si primum habeat, non potest esse forma informans, quia repugnat id quod subsistens est in alio recipi. Si secundum habeat, est forma inhaerens; ergo accidentalis; non datur ergo substantialis forma.

3. Tertio, quia, positis substantialibus formis, non potest intelligi quo modo fiant rerum transmutationes et generationes nisi aliquid ex nihilo fiat, quod esse non potest iuxta naturalia principia. Sequela patet, quia vel forma substantialis praeexistit generationi, aut aliquid eius, vel nihil. Primum dici non potest, alias infinitae formae praeexisterent in materia, et reipsa nihil de novo fieret, sed appareret. Neque etiam potest dici secundum, tum quia in eadem parte materiae non potest esse aliquid formae quin sit tota forma, cum indivisibilis sit; tum etiam quia, etiamsi pars formae praesit et pars inducenda sit, haec pars fiet ex nihilo; non enim potest ex peiori parte fieri; restat ergo ut dicatur tertium, quod tamen repugnat et excedit vim naturalium agentium.

4. *Veteres philosophi formas substantiales nescivere*.— In hac quaestione antiqui philosophi fere omnes ignorarunt formas substantiales, ut constat ex his quae supra retulimus de eorum opinionibus circa materiam primam vel primum subiectum transmutationum naturalium; cum enim existimaverint illud subiectum esse completum ens actu, non potuerunt substantialem formam agnoscere; nam forma substantialis et materia prima quae sit pura potentia quasi correlativa sunt. Nonnulli etiam e posterioribus philosophis, saltem in elementis, negarunt substantiales formas. Ita significat Alexander Aphrodisaeus, XII Metaph., com. 12, quamquam ibi solum exempli causa et secundum proportionem loqui videatur; et Philoponus, II de Gener., com. 7; et prius tenuit eamdem sententiam Galenus, lib. I de Element.; et antea idem sensit Empedocles, qui mixtorum formas non negavit, sed elementorum, ut significat Aristoteles, I Phys., text. 51, et II Phys., text. 22.

*Quaestionis resolutio*

5. Dicendum vero est omnes res naturales seu corporeas constare forma substantiali (praeter materiam) tamquam principio intrinseco et causa formali. Haec est sententia Aristotelis innumeris in locis, qui saepe reprehendit veteres philosophos quod, fere praetermissa substantiali forma, omnem inquisitionem circa materiam adhibuerint, ut constat ex toto lib. I Phys., et lib. II, c. 1, ubi formam perfectiorem naturam dicit esse quam materiam. Idem habet lib. I de Partibus animalium, c. 1, et VII Metaph., c. 4, et lib. XII, c. 2, ubi vocat formam *hoc aliquid*, quia complet substantiam, quae est *hoc aliquid*; et ibidem, praesertim lib. VII Metaph., vocat formam *quod quid est*; et rationem reddit quia ipsa est quae constituit et distinguit rerum essentias. Praeterea, lib. II de Anima, c. 1, distinguit substantiam in materiam, formam et compositum, et formam vocat *entelejeia*, de quo nomine multa erudite scribit Fonseca, lib. I Metaph., in fine; communiter tamen docent scriptores vocem *entelechiae* generaliorem esse et plura comprehendere quam substantialem formam; significat enim proprie perfectionem seu actum perficientem rem. Per antonomasiam vero attribui solet formae substantiali quod sit praecipuus actus et maxima perfectio rei substantialis. Aliis etiam nominibus solet ab Aristotele forma substantialis nominari, quae inferius, explicando eius causalitatem, adnotabimus. Non tamen fuit Aristoteles huius veritatis inventor, nam ante eum substantialem formam agnovit Plato, ut constat ex Timaeo, ubi formas appellat vere existentium simulachra, id est, idearum participationes, cum tamen ipse non ponat ideas nisi substantiarum. Et ante Platonem nonnulli e philosophis creduntur substantiales formas attigisse, ut constat ex Aristotele, I de Partibus animal., c. 1, et aliis locis supra citatis. Iam vero est hoc dogma ita receptum in philosophia ut sine magna ignorantia id negari non possit; estque ita consentaneum veritati fidei christianae ut eius certitudo non parum inde augeatur; quare placet huius veritatis probationem a quodam principio fide certo et lumine naturali evidente inchoare.

*Ex rationali caeterae substantiales formae colliguntur*

6. Prima igitur ratio sit, nam homo constat forma substantiali ut intrinseca causa; ergo et res omnes naturales. Antecedens probatur, nam anima rationalis substantia est et non accidens, ut patet, quia per se manet separata a corpore, cum sit immortalis; est ergo per se subsistens et independens a subiecto; non est ergo accidens, sed substantia. Rursus illa anima est vera forma corporis, ut docet fides et est etiam evidens lumine naturali; non enim potest esse substantia assistens aut extrinsece movens corpus, alias non vivificaret illud, neque ex praesentia et coniunctione eius essentialiter penderent opera vitae; nec denique esset ipse homo qui intelligeret, sed quaedam alia substantia assistens. Constat ergo homo corpore ut materia et anima rationali ut forma; est ergo haec anima substantialis forma; nam, ut infra declarabimus, nomine substantialis formae nihil aliud significatur quam substantia quaedam partialis quae ita potest uniri materiae ut cum illa componat substantiam integram ac per se unam, qualis est homo.

7. Prima vero consequentia probatur, supponendo sermonem esse de rebus naturalibus generabilibus et corruptibilibus, nam hae sunt quoad hanc partem eiusdem ordinis cum homine, et inter eas potest esse transmutatio et vicissitudo; inde tamen facile

concludetur a fortiori idem esse dicendum de incorruptibilibus corporibus, supposita sententia quam supra tractavimus de materia eorum. Hominis ergo compositio ex materia et forma substantiali ostendit esse in rebus naturalibus quodam subiectum substantiale natura sua aptum ut informetur actu aliquo substantiali; ergo tale subiectum imperfectum et incompletum est in genere substantiae; petit ergo semper esse sub aliquo actu substantiali. Hoc autem subiectum non est proprium hominis, sed in aliis etiam rebus naturalibus reperitur, ut per se notum est; unde et ad generationem hominis supponitur, et ad nutritionem, et post eius corruptionem manet; ergo res omnes naturales, quae illo subiecto seu materia constant, constant etiam substantiali forma actuante et perficiente subiectum illud. Praeterea, ex eadem hominis compositione colligitur aggregationem plurium facultatum vel formarum accidentalium in simplici subiecto substantiali non satis esse ad constitutionem rei naturalis; nam in homine sunt illae facultates et formae accidentales plures fortasse ac perfectiores quam in aliis naturalibus rebus, et tamen non sufficiunt ad constitutionem alicuius naturalis entis completi, sed praeterea requiritur forma quae veluti praesit omnibus illis facultatibus et accidentibus et sit fons omnium actionum et naturalium motuum talis entis, et in qua tota illa varietas accidentium et potentiarum radicem et quamdam unitatem habeat; ergo eadem ratione in reliquis entibus naturalibus necessaria est aliqua forma substantialis distincta ab accidentibus et intimior ac perfectior illis. Tertio, eodem exemplo constat generationem et corruptionem hominis substantialem non consistere in acquisitione vel amissione aliquorum accidentium, sed in unione vel disiunctione animae rationalis substantialiter informantis corpus humanum, ad quam praeparant accidentia quaedam, quibus sublatis, anima recedit et homo corrumpitur; ergo eodem modo intelligendum est fieri corruptionem et generationem aliorum entium naturalium. Nam, quantum experientia colligi potest, idem modus est generationis et corruptionis in aliis rebus qui est in homine, excepta differentia in perfectione et subsistentia formae humanae, quam ex modo generationis et corruptionis non colligeremus nisi aliunde nobis nota esset. Et propterea dicitur Ecclesiat., 3: *Unus interitus est hominis et iumentorum, et aequa utriusque conditio, sicut moritur homo, ita et illa moriuntur*, etc. Denique omnia indicia et signa substantialis compositionis quae in homine cogitari possunt sunt in aliis entibus naturalibus, et praesertim in animantibus, ut ex sequenti ratione constabit.

*Substantialis formae indicia varia*

8. *Reductio alterati passi in pristinum statum*.— Secunda ergo ratio principalis sumitur ex variis indiciis ortis ex accidentibus et operationibus entium naturalium, quae indicant latere sub illis formam substantialem. Primum cernitur etiam in elementis; nam si aqua, verbi gratia, calefiat, et postea removeatur agens, ab intrinseco reducitur ad pristinam frigiditatem, ut experimento constat; ergo signum est esse in aqua aliquod intimius principium a quo iterum manat intensio frigoris, sublatis extrinsecis impedimentis; illud autem principium non potest esse nisi forma substantialis; ergo. Prima consequentia probatur, quia nullum potest esse extrinsecum principium illius reductionis, tum quia, si illa reductio esset ab extrinseco, non esset per se ac necessaria, sed ex accidente, prout extrinsecum agens casu occurreret; tum etiam quia, discurrendo per omnia principia extrinseca quae communiter occurrunt, nullum est a quo possit illa actio provenire, quia proxime solum occurrere solet aer circumstans, qui vel naturaliter non est tam frigidus sicut aqua, vel ex accidente relinqui solet aeque calidus ac ipsa aqua; unde ipse etiam se reducit ad pristinum statum, quantum potest; remote vero solum interveniunt causae caelestes et universales, quae ex se non sunt determinatae ad huiusmodi actionem, ut notum est.

9. *Variae talis reductionis causae refelluntur*.— Secundum vero antecedens, scilicet, nullam aliam causam intrinsecam illius actionis excogitari posse praeter ipsam aquae formam, probatur, nam quaenam erit illa? Dicunt aliqui in quibusdam partibus aquae semper manere intensum frigus, et ab illis partibus alias quae calefactae fuerunt frigefieri, quod probabile censet Caietan., I, q. 54, a. 3; et tribuitur Averroi, II de Anima, com. 1. Sed hoc frivolum est et contra experientiam; sensu enim percipimus totam aquam infusam vasi alicui, esse valde calidam, quacumque ex parte attingatur; si autem essent aliquae partes adeo

frigidae, vel perciperentur sensu vel saltem temperarent in aliqua parte aquae caloris sensum; neutrum autem fit. Est etiam contra rationem physicam, nam tota aqua secundum omnes suas partes est uniformiter difformiter applicata igni naturaliter agenti; ergo secundum omnes partes eodem modo patitur uniformiter; quid enim est quod posset vel actionem illam impedire, vel ita interrumpere ut in quibusdam partibus fieret et non in aliis? Item, vel illae partes quae frigus retinere dicuntur possunt calefieri, vel non; si non, ergo neque corrumpi poterant; si vero possunt calefieri, ergo si tota aqua est sufficienter applicata igni, etiam illae calefient, vel certe dari potest status in quo illa potentia reducatur in actum, et illo posito, adhuc illa aqua reducetur ad pristinam frigiditatem remoto agente contrario, dummodo ad corruptionem aquae perventum non sit.

10. Alii respondent illam actionem non provenire ab aliquo principio distincto a frigiditate; semper enim manet frigiditas in aliquo gradu, et ipsamet statim ac non impeditur se revocat in pristinum statum. Possunt enim in ipsamet frigiditate duo distingui, scilicet, essentia et modus intensionis; et essentia semper manet integra, etiamsi intensio minuatur, ideoque potest ab eadem essentia modus intensionis manare. Sed haec responsio etiam est falsa. Primo, quia non potest a qualitate remissa intensior gradus procedere, alioqui etiam aer sese efficeret summe calidum, et sic de omnibus aliis rebus. Secundo, quia saepe contingit plures gradus caloris esse in aqua quam frigoris; ergo, etiam remoto extrinseco agente, non posset frigiditas vincere calorem intensum, quia nullo modo a subiecto iuvaretur, cum sola materia de se indifferens sit ad utrumque accidens. Tertio, quia alias nunquam frigus et calor in gradibus remissis possent quieta manere in eodem subiecto, sed semper altera qualitas alteram expelleret, se perficiendo usque ad ultimam intensionem, quia ex parte subiecti (si solum esset materia prima) nullum esset impedimentum, et supponimus omnia alia extrinseca esse sublata.

11. *In elementis nullae qualitates virtualiter primas continent*.— Alii tandem respondent necessarium quidem esse aliud principium internum prius frigiditate, quod integrum maneat, etiamsi frigiditas remittatur, a quo illa reductio derivetur; negant tamen illud principium esse formam substantialem, nam ab illa non posset immediate provenire alteratio, sed dicunt esse qualitatem quamdam superioris rationis, virtute continentem primas qualitates sensibiles. Verumtamen haec sententia duobus modis intelligi potest: primo, non negando formam substantialem, sed ponendo illam qualitatem virtualem mediam inter formam substantialem et primas qualitates sensibiles, et in hoc sensu non repugnat veritati quam probare intendimus; enervat tamen rationem quam prosequimur, et praeterea reiicienda est tamquam supervacanea et gratis conficta, multiplicat enim qualitates sine fundamento vel experientia ulla, nam emanatio accidentis ab intrinseca forma non indiget alio accidente intermedio, alias procederetur in infinitum. Item, quia repugnat dari in elementis aliquas qualitates priores primis; sunt autem, teste Aristotele, primae qualitates elementorum formalis calor, frigiditas, etc. Unde, licet fortasse in mixtis interdum detur qualitas virtute continens calorem aut frigus, illa tamen et est posterior temperamento primarum qualitatum connaturali mixto et non est ad intrinsecam dimanationem primarum qualitatum in eodem subiecto, sed ad efficiendum propria actione in extrinseca subiecta. Aliter potest intelligi illa responsio, ita ut intendat e medio auferre formam substantialem et loco illius ponere qualitatem. In hoc autem sensu intellecta, facile refutatur, quia illa qualitas immediate et per se non sentitur, sed ex hoc effectu naturalis dimanationis dignoscitur; quo ergo fundamento dicitur illud internum principium esse qualitatem accidentalem et non formam substantialem? Item illud principium est primus actus materiae, complens cum illa hoc ens naturale quod aquam appellamus; ergo est actus substantialis et non accidentalis. Item, illa forma non solum est radix frigoris, sed etiam humiditatis, densitatis et aliarum proprietatum quas elementum aquae requirit; nam de illis potest fieri idem argumentum, quod si per actionem contrariam ab illo naturali statu quem aqua, postulat immutentur, statim ac contrarium recedit, ad naturalem statum revertuntur; ergo habent aliam priorem formam a qua derivantur, quae immutata maneat; ergo vel singulis respondent singulae formae radicales (ut ita dicam) aut virtuales, quod natura abhorret et est omnino superfluum, vel est

una forma in qua omnes illae proprietates radicantur et quasi colligantur, quod est verissimum; ergo illa forma non est accidentalis, sed superioris ordinis. Est ergo forma substantialis, a qua talis reductio provenit, ut communis habet sententia Avicen., lib. I Suffic., c. 5; Soncin., IX Metaph., q. 8; Soto, II Phys., q. 1, et aliorum.

12. Atque hinc sumi potest aliud indicium, quod est confirmatio praecedentis, nam fere evidenti experimento constat etiam in his rebus inanimatis aut elementis corruptionem substantialem esse distinctam ab alteratione; loquor in specie de inanimatis, ut a fortiori sit inductio universalis; quoniam in rebus animatis est res evidentior, ut patebit. Experimur itaque alterationem, ut, verbi gratia, calefactionem aquae aut ferri, interdum esse adeo vehementem ut intensissimus calor in eis sentiatur, et nihilominus si actio contrarii agentis cesset, res illae manent vel integrae vel fere integrae in substantia sua, et facile etiam ad accidentalem statum revertuntur; interdum vero adeo procedit alteratio ut omnimoda transmutatio rei fiat, ita ut quamvis removeatur agens, nunquam possit passum illud ad pristinum statum redire, neque priores actiones aut similia accidentia recuperare; interdum etiam in viliorem substantiam sensibilem, ut cineres, scoriam, etc., mutatur; nonnunquam vero omnino consumitur insensibiliter, quia in aliud corpus subtilius et insensibile transformatur; ergo signum evidens est alterationem interdum esse puram et manere intra latitudinem mutationis accidentalis, interdum vero habere coniunctam maiorem rei mutationem. Haec autem non potest esse alia nisi quia ipsum substantiale compositum dissolvitur, recedente forma substantiali; dantur ergo substantiales formae. Probatur ultima subsumptio, quia si tota substantia rei semper maneret aeque integra, quantumcumque procederet alteratio, ipsa de se semper haberet eamdem habitudinem ad accidentia; ergo vel semper post quamcumque alterationem maneret quieta sub quibuscumque accidentibus, quantum esset ex se et remoto contrario agente, vel certe remotis eisdem agentibus semper rediret ad eadem accidentia.

13. Et confirmatur haec ratio, nam videmus quaedam accidentia esse ita inseparabilia ab aliquibus subiectis ut, si illa auferantur, vel nimium diminuantur, omnimoda transmutatio fiat in subiectis, ita ut non possint per intrinsecam vim ad pristinum statum redire; ergo illa inseparabilitas provenit ex connexione talium accidentium cum aliquo principio interno talium rerum. Quod non potest esse materia prima seu illud primum subiectum quod manet sub omni transmutatione, quia respectu illius nullum est accidens inseparabile ex his quae possunt per alterationem acquiri vel amitti. Neque etiam illud principium potest esse aliquod accidens, si sit sermo de primo et radicali principio; nam, licet unum accidens sit inseparabile respectu alterius, ut raritas respectu caloris, vel albedo respectu talis temperamenti primarum qualitatum, illud tamen temperamentum est inseparabile ab alia priori forma naturae suae relicta; sistendum ergo necessario est in aliqua forma quae sit prima respectu accidentium inseparabilium; illa ergo est forma substantialis et non accidentalis, cum constituat propriam essentiam cui proprietates accidentales tales connaturaliter et inseparabiliter insunt.

14. *Subordinatio proprietatum inter se indicium formae substantialis*.— Tandem formari potest ex hoc indicio alia ratio, quia in uno ente naturali multae proprietates coniunguntur, quae interdum ita sunt inter se subordinatae ut una ab altera oriatur, ut voluntas ab intellectu; interdum vero inter se non habent subordinationem, ut calor et humiditas in aere, albedo et dulcedo in lacte, vel plures sensus in animali; ergo haec multitudo et varietas proprietatum, praesertim quando posteriori modo se habent, requirit unam formam in qua omnes uniantur; alioqui essent mere accidentaliter congregatae in eodem subiecto, et, una omnino sublata, non propterea recederet alia; at oppositum constat experientia; ergo signum est talia accidentia in tali numero, pondere et mensura in tali subiecto et ente requisita, non habere illam connexionem respectu solius primi subiecti seu materiae primae, sed respectu alicuius compositi quod ratione formae illum accidentium inter se ordinem requirit. Soletque haec ratio specialiter confirmari in corporibus mixtis, in quibus videmus accidentia contraria ad certos gradus redacta in eodem mixto conservari; id autem non potest provenire ex ipsis qualitatibus, ut per se satis constat, cum potius natura sua

pugnent. Neque etiam provenit a causa extrinseca neque a materia, ut facile patet; ergo oportet ut proveniat a forma. Verumtamen haec confirmatio vel nullam omnino habet vim, vel non est distincta ratio a praecedentibus, nam quatuor qualitates primae ad eam temperiem redactae, in qua possint simul esse in eodem subiecto, ut in eo perpetuo conserventur in eodem statu, non indigent alia interna causa vel principio, sed sola remotione extrinseci agentis corrumpentis, quia illae qualitates in eo gradu constitutae nec sunt proprie contrariae neque possunt inter se habere actionem; immo, si eam habere possent, non posset forma substantialis eam impedire aut conciliare. Quo fit ut in viventibus, etiam in homine, ubi forma est maxime una, non possit impedire actionem inter partes heterogeneas, quia, licet in singulis partibus qualitates sint ita temperatae ut inter se consentiant respectu sui proprii subiecti, non vero sunt ita temperatae respectu qualitatum alterius partis dissimilis. Ex hac ergo conservatione temperamenti, ex contrariis qualitatibus constante, praecise sumpta, non infertur forma substantialis. Infertur tamen optime ex eo quod in huiusmodi temperamento non solum permittuntur (ut ita dicam) qualitates manere in eo gradu, sed etiam in eo ita connectuntur et ita illum requirunt ut si altera earum extrinsecus vel augeatur vel minuatur, remoto extrinseco agente, statim ad priorem proportionem temperamentum redeat, quod maxime cernitur in animalibus; hoc ergo est signum evidens esse tale temperamentum alicuius formae in qua illae qualitates connectuntur. Hoc autem signum coincidit cum illo de reductione rei ad naturalem statum.

15. *Quod res unum intense agens in aliorum actione remittatur, signum substantialis formae.*— Ultimo confirmatur haec ratio alio indicio sumpto ex actione quarumdam rerum naturalium; experimur enim rem aliquam habentem plures operandi facultates, dum intense per unam operatur, impediri ne per aliam operari possit, aut ne cum tanto conatu; ergo est signum illas facultates esse subordinatas eidem formae, quae per eas principaliter operatur; nam si nullam subordinationem inter se haberent neque cum aliquo communi principio, quaelibet earum haberet suam operationem independenter ab alia, neque esset ulla ratio cur conatus unius impediret conatum alterius magis quam si essent in diversis subiectis; at vero ex subordinatione ad eamdem formam redditur optima ratio, quia cum illa sit finitae virtutis, dum intense applicatur ad unam operationem, distrahitur ab altera, et tanto conatu potest uni incumbere ut ibi exhauriatur eius virtus. Antecedens declaratur ab aliquibus in rebus seu agentibus naturalibus, quae dum intense agunt ad vincendum contrarium sese non possunt omnino tueri quin aliqua ex parte vincantur vel patiantur a contrario. Verumtamen haec experientia de repassione agentium naturalium non provenit ex subordinatione plurium facultatum ad unam formam, sed ex eo quod res non est semper aeque potens ad resistendum ac est ad agendum. Unde etiam ferrum calidissimum, dum calefacit aquam, ab ea repatitur, quamvis forma ferri nihil prorsus ad illam actionem conferat; immo ibi non intercedunt operationes diversarum facultatum, sed actio unius qualitatis, scilicet caloris, et passio eidem aliqua ex parte contraria, quae ex eo provenit quod calor non est tam potens ad resistendum sicut ad agendum. Quocirca in rebus inanimatis vix credo posse inveniri experimentum aliquod quo illud antecedens probetur, quia in actionibus accidentalibus, quae a vita non procedunt, non videtur proxime intercedere aliquis concursus formae substantialis ratione cuius remittatur actio unius facultatis ex conatu alterius. In viventibus autem, et praesertim in nobis, experimur manifeste huiusmodi effectum; interdum enim interior cogitatio attenta impeditne res etiam praesentes videamus; immo et actionem nutritivae partis impedire solet diuturna meditatio. Neque refert si quis dicat hoc provenire ex concursu spirituum vitalium, qui necessarii sunt ad operationes harum facultatum, et dum ad unam confluunt, aliam destituunt; tum quia ipsemet concursus spirituum vitalium ad unam facultatem potius quam ad aliam est signum unius formae utentis ipsis spiritibus et facultatibus ad duas actiones, alias nulla esset ratio cur spiritus magis ad unam facultatem confluerent quam ad aliam; tum etiam quia intellectualis operatio non fit mediis spiritibus, et tamen conatus et attentio ad illam impedit inferiores actiones. Nec potest hoc tribui cooperationi phantasiae, quae requirit spirituum concursum; nam intellectualis attentio, praesertim si sit vehemens et circa res superioris ordinis, etiam ipsam phantasiae actionem valde minuit; ergo non provenit ex spiritibus, sed ex occupatione eiusdem animae circa aliquam operationem.

*Formae substantialis causae ipsam clare ostendunt*

16. *Substantialem formam esse non repugnat*.— Tertia ratio principalis reddi potest a priori ex propriis causis formae substantialis, quae sunt finalis, efficiens et materialis; nam formalem non habet, cum sit ipsamet forma, unde ex ipsa nulla potest sumi positiva ratio. Possumus tamen supponere ex parte eius nullam esse repugnantiam quod tale genus entis vel substantiae incompletae detur in rerum natura; quae enim repugnantia in hoc fingi aut excogitari potest? Item, quia non repugnat dari in rerum natura actus substantiales supremi ordinis qui sint subsistentes et non informantes, ut angeli, et actum substantialem medii ordinis qui simul sit subsistens et actuans seu informans, ut de anima rationali dictum est; ergo non repugnabit dari actus substantiales infimi ordinis, id est, qui sint actus actuantes et non integre subsistentes, et hos vocavimus formas substantiales. Item,vel repugnaret talis actus quia actus est, vel quia substantialis est, vel quia haec duo in eadem re coniungi repugnat; nihil horum potest cum probabilitate dici; ergo nec repugnat dari substantialem formam quantum est ex parte eius. Quod si ex parte eius non repugnat, statim facile probabitur ex aliis causis vel non repugnare, vel etiam esse necessariam. Duae primae partes primi antecedentis per se notae videntur. Prima quidem, quia per se notum est dari in rebus entitates quae sunt actus et perfectiones aliarum; sic enim candor est actus albi et intellectio intelligentis. Secunda vero, quia etiam est per se notum dari in rebus entitates substantiales. cum hae sint aliarum omnium fundamentum. Probanda ergo superest tertia pars, quod nimirum has duas proprietates seu rationes in eadem entitate coniungi non repugnet; hoc autem patet, tum quia nihil in altera illarum rationum assignari potest quod cum altera intrinsece repugnet, tum etiam quia ratio actus ex se perfectionem dicit; ergo si non repugnat coniungi cum esse accidentali, cur repugnat cum substantiali copulari? Tum denique quia, cum ratio substantialis entitatis ad perfectionem simpliciter spectet, magis videtur repugnare cum ratione potentialitatis quam cum ratione actualitatis; sed primum non repugnat, ut in materia prima constat; ergo nec secundum repugnabit. Atque hinc nova ratio consurgit; nam potentia et actus in omni genere sibi cum proportione respondent; sed non repugnat dari in rebus naturalibus substantialem potentiam quae in genere substantiae sit incompletum et imperfectum ens, ut supra est ostensum et ex hominis compositione est manifestum; ergo non repugnabit dari actum proportionatum huic potentiae quo possit in qualibet re naturali actuari et modo sibi connaturali existere et conservari.

17. *Ex materiali causa et efficienti demonstratur*.— Atque hinc concluditur facile ratio ex materiali causa desumpta; nam, cum materia sit substantialis potentia, continet in suo genere et in potentia receptiva omnem actum sibi proportionatum; ergo est potens ad causandum illum in suo genere, si aliunde non repugnat; ergo ex hac parte habet substantialis forma materialis sufficientem causam ut esse possit. Rursus concluditur ratio ex causa efficienti; nam si sit sermo de prima causa, non potest deesse virtus qua efficere potuerit in universo formas substantiales actuantes materiam, vel dependenter vel independenter ab illa, iuxta varios gradus et perfectiones talium formarum, supposita non repugnantia earum; ergo cum tales formae sint necessariae in rerum natura, effectae sunt ab huiusmodi causa. Si autem sit sermo de causa proxima, postea videndum est quaenam intercedere possit respectu uniuscuiusque formae. Nunc sufficiat dicere non posse talem causam deesse, si talis effectus ad rerum naturalium constitutionem est necessarius; unde si causis creatis interdum haec virtus deficiat, ad causalitatem primae causae spectat ut munus etiam causae proximae suppleat, quod, per se loquendo, solum facit in anima rationali quantum ad effectionem eius; aliis enim formis, ex modo quo fiunt, non repugnat fieri ab agentibus creatis, cum fiant cum concursu materiae, ut statim explicabimus. An vero in talibus agentibus sit sufficiens virtus, dicemus tractando de causa efficienti.

18. *Praecipuus index formae finis ipsius est*.— Igitur praecipua ratio sumenda est ex fine formae substantialis, qui est constituere et complere essentiam entis naturalis, qui finis seu effectus est absolute necessarius in rerum natura; alioqui nihil esset in rebus corporeis in sua substantiali natura completum et perfectum; neque esset multitudo et varietas specierum substantialium, in qua maxime consistit huius universi corporei mirabilis dispositio et

pulchritudo. Ad hunc ergo finem est omnino necessaria substantialis forma, quia cum materia sit valde imperfectum ens, non potest in illa sola consistere integra uniuscuiusque rei essentia. Deinde, quia materia, quatenus est primum subiectum, est una et eadem in omnibus rebus naturalibus; ergo non potest in sola illa consistere earum essentia, alioqui omnia essent unius essentiae solumque accidentaliter differrent, quod repugnat amplitudini et pulchritudini totius universi, quae ex specierum varietate maxime consurgit. Quod significari videtur Genes., 1, in illis verbis: *Facientem semen iuxta genus suum, vel secundum speciem suam*. Et saepe fit illa repetitio, *iuxta species suas et in genere suo*, et tandem concluditur: *Vidit Deus cunctaquae fecerat, et erant valde bona*, quia nimirum totius universi completa bonitas ex illa varietate consurgit. Quam etiam variae rerum virtutes et operationes et mutuae generationes et corruptiones satis ostendunt, ut declaratum est. Aliquid ergo praeter materiam est ipsi addendum quo essentia unius cuiusque rei compleatur; cum autem materia sit potentia, id quod ei additur ad complendam essentiam erit actus, quia potentia dicit essentialem ordinem ad actum.

19. Non potest autem ille actus qui ad complendam rei essentiam adiungitur materiae esse actus accidentalis. Primo quidem quia ex actu et potentia diversorum ordinum non completur essentia vere ac per se una; essentia autem rei naturalis et substantialis esse debet vere ac per se una; alias non esset una substantia. Secundo, quia cum materia sit substantialis potentia, non expletur per actum accidentalem; ergo cum illo non potest complere veram essentiam rei naturalis. Tertio, quia si talis actus est accidentalis, interrogo cuinam accidat. Aut enim accidit composito ex illo actu et potentia, ut tale est, et hoc repugnat, quia cum compositum illud intrinsece constet ex tali forma, non potest ei accidere; quomodo etiam albedo non est accidens albi, ut album est, sed subiecti albi. Aut accidit materiae seu subiecto substantiali, et sic interrogo rursus cur dicatur ei accidere. Vel enim quia potest materia esse cum tali actu, et etiam sine illo. Et hoc non est satis, alias etiam anima rationalis esset accidens corporis; hoc ergo commune esse potest tam substantiali actui quam accidentali. Vel est quia talis forma pendet a materia in suo esse, et hoc etiam non est satis, quia etiam partes substantiae possunt pendere ab aliis partibus, et materia ipsa pendet suo modo a forma; sunt itaque varii modi dependentiae, et non repugnat incompletae alicui substantiae quod pendeat a subiecto eiusdem ordinis. Vel denique dicitur accidens quia in suo esse habet entitatem ita imperfectam et diminutam ut sit inferioris ordinis quam tota latitudo substantiae. Et hoc imprimis est gratis et sine fundamento dictum; unde enim constat illum actum materiae, ad quem ipsa per se primo ordinatur quique cum ipsa complet essentiam rei naturalis, esse tam diminutam et incompletam entitatem? Deinde repugnat fini talis formae, quia, ut dixi, non potest ex subiecto substantiali et forma accidentali componi una essentia substantialis, maxime cum forma sit quae dat ultimum gradum et complementum essentiae. Propter quod merito dixit Aristot., I Phys., c. 6, *substantiam non componi ex non substantiis*; constat autem res naturales earumque essentias substantiales esse ac per se unas; est ergo certissimum dogma philosophicum de substantialibus formis.

*Solvuntur argumenta*

20. Ex rationibus dubitandi in principio positis, duae primae ex dictis solutae relinquuntur. Ad primam enim negatur deesse in rebus naturalibus sufficientia indicia et effectus, per quae sufficienter deveniri possit in cognitionem formarum substantialium, negaturque subinde aut actiones omnes aut transmutationes salvari posse sine formis substantialibus. Ad secundam, negatur repugnare quod aliqua forma sit subsistens et informans, vel in diversis statibus vel etiam in eodem, ut latius declarabimus infra tractando de subsistentia. Negatur etiam repugnare esse formam dependentem a subiecto et esse substantialem, ut paulo ante dictum est; quomodo autem differat haec dependentia ab inhaerentia accidentis, dicemus disputatione sequenti. In tertio vero argumento petitur specialis difficultas, quam oportet sequenti sectione tractare.

## *SECTIO II*

## *QUOMODO POSSIT FORMA SUBSTANTIALIS FIERI IN MATERIA ET EX MATERIA*

1. *Difficultatis ratio*.— Ratio dubitandi tacta est in praecedenti sectione; nam forma substantialis est res distincta a materia; vel ergo illa res est aliquid ante generationem, vel nihil; si est aliquid, ergo est forma substantialis antequam fiat; nam illa res est indivisibilis et essentialiter est forma substantialis; non ergo potest illa res esse aliquid ante generationem quin sit substantialis forma; hoc autem est impossibile, tum quia alias nulla esset substantialis generatio; tum etiam quia alias essent simul in materia formae repugnantes. Si vero eligatur altera pars, nimirum formam ante generationem nihil esse, sequitur formam ex nihilo fieri, quod repugnat philosophorum axiomati: *Ex nihilo nihil fit*. Nec satisfacit qui responderit formam non fieri, sed compositum; compositum autem fieri ex materia, et ideo nihil esse quod ex nihilo fiat; hoc (inquam) non satisfacit, quia magis consistit in verbis et modo loquendi quam in re, nam forma revera antea non erat et postea est; ergo facta est. Item, quia compositum non fit nisi quatenus ex materia et forma componitur; non autem componitur nisi ex entibus factis. Item, quia, cum totum corrumpitur, forma vere desinit esse transitque in nihilum; nam quae antea erat aliquid, postea est nihil; ergo cum totum incipit esse, forma etiam fit.

2. *Reiicitur placitum antiquorum philosophorum*.— Propter hanc difficultatem antiqui philosophi negarunt formas substantiales, et omnia fieri per solam accidentium mutationem existimarunt. Quorum sententia improbata iam est ex demonstratione substantialis formae et generationis ac corruptionis; nunc vero addimus eos non solvisse difficultatem negando substantiales formas nisi etiam accidentales negent, quae vere et realiter de novo fiant, et consequenter dicant nullam esse in rebus mutationem nisi fortasse localem, sed videri res transmutari quia quae apparebant occultantur, et quae occultae erant apparent, quod quam sit absurdum, perspicuum est. Assumptum patet, quia de forma accidentali potest eadem difficultas obiici; nam etiam illa forma, cum est, habet suam realitatem et entitatem. Aut ergo illa, antequam fiat, erat aliquid, vel nihil. Si aliquid, ergo non fit; si nihil, ergo fit ex nihilo. Unde Anaxagoras, ut supra vidimus, omnes formas rerum concedebat actu esse in atomis, ex quarum concursu vario omnia componebat; sed illud placitum satis est in superioribus refutatum.

### *Prima opinio proponitur et variis modis explicatur*

3. *Albertus Magnus ab hac sententia eruitur*.— Omissis ergo antiquis philosophis, inter posteriores sunt de hac re variae sententiae. Prima est omnes formas actu esse in materia, non quidem integras et perfectas, quia vident hoc e medio tollere veram rerum generationem et corruptionem et involvere manifestam repugnantiam, cum formae ipsae inter se pugnantes sint, et cum eadem ratio sit de accidentalibus, quae interdum sunt proprie contrariae. Sed dicunt esse formas actu in materia secundum quasdam inchoationes earum. Hanc opinionem Soto, I Phys., q. 7, tribuit Alberto, ibid., tract. III, c. 3; Soncinas vero VII Metaph., q. 28, negat Albertum esse huius sententiae. Et revera Albertus solum ait in materia, quae est subiectum formarum, esse habitum confusum earumdem formarum, hunc autem habitum declarat nil esse aliud quam potentiam habitualem qua materia claudit in se formas; significat autem illum habitum confusum esse aliquid distinctum a natura materiae, ratione cuius forma dicitur praeexistere in materia: *Nec intendo* (inquit) *dicere quod formae pars sit ab intus et pars ab extra, sed tota est ab intus et tota est ab extra*. Quod declarans, significat formam esse ab intus, id est, praeexistere in materia secundum esse essentiae, et ideo ait agens *non agere ad producendam essentiam formae, sed ad esse formae*; et hoc sensu dixerat *formam totam esse ab extra*, id est fieri ab efficienti quantum ad esse existentiae. Quae omnia licet obscurissime dicta sint, possunt ad rectum sensum trahi, si per esse essentiae solum intelligamus esse in potentia, quod non fit ab agente naturali, sed supponitur in materia. Unde idem Albertus, V Metaph., tract. II, c. 12, ait totam formam esse ab intra secundum esse potentiale et ab extra secundum esse actuale; in VIII etiam Phys.,

c. 4, potentiam ad formam vocat inchoationem formae. Recte igitur per illum habitum confusum intelligimus ipsam potentialitatem materiae, quam ipsemet Albertus vocat habitualem potestatem. Solum videtur distinguere potentiam materiae a materia, quod ad aliam quaestionem supra tractatam spectat, et posset satis probabiliter exponi de distinctione rationis et non rei; nam ibidem eodem modo distinguit in genere naturam generis a potestate qua differentias continet.

4. Alia sententia refertur a Durando, In II, dist. 18, q. 2, quae ponebat in materia quasdam possibilitates formarum, quae non manent quando producuntur formae, sed in eas convertuntur; atque ita salvabat non fieri formas ex nihilo, sed ex illis possibilitatibus. Non refert autem Durandus aliquem auctorem huius sententiae, et ideo non possumus sensum illius certo affirmare; vix tamen credi potest illos auctores per eam possibilitatem intellexisse rem aliquam veram distinctam a materia et a forma, sed solam essentiam formae possibilem, quam alii vocant in potentia obiectiva; quamquam si hoc tantum voluit haec opinio, nihil peculiare attulit quo explicaret formam non creari; nam etiam res quae creantur fiunt ex huiusmodi possibilitate. Refert tandem Soto aliam opinionem Aureoli, In II, dist. 18, quod forma praeest in materia secundum partem, ex qua perficitur per actionem agentis, et ideo non fit ex nihilo; eam vero opinionem nec Capreolus refert ex Aureolo neque apud alium auctorem invenire potui.

5. Quocumque igitur sensu asseratur praecedere in materia rem aliquam distinctam ab ipsa materia ut ex illa producatur forma, est improbabilis nihilque deservit ad enodandam difficultatem in qua versamur. Primum patet, quia intelligi non potest quae sit vel qualis illa entitas, quia vel est substantia vel accidens; hoc posterius non dicitur ab illis auctoribus, nec dici potest, tum quia accidens non est intrinseca inchoatio formae substantialis, sed ad summum esse potest dispositio, tum etiam quia propter accidens praeexistens non vitatur quin tota realitas formae fiat ex nihilo ipsius, quia accidens non est aliquid ipsius formae. Si vero dicatur secundum, inquiretur rursus an illa substantia sit materia, vel forma, vel compositum; non potest esse compositum, ut per se notum est; non materia, quia supponitur esse res distincta ab illa; nec forma, quia haec incipit esse per generationem. Dicetur fortasse esse forma in esse imperfecto. Sed contra hoc urgetur ulterius, supponendo esse sermonem de esse actuali, quo res est vera entitas actualis extra causas suas; nam esset valde frivolum loqui de esse possibili tantum, quia secundum illud esse non ponitur in materia aliqua vera res distincta ab illa quae sit extra nihil et sit forma in esse imperfecto.

6. Loquendo igitur de huiusmodi re habente verum esse actuale, licet imperfectum, inquiro quomodo ex illa re fiat forma in esse perfecto, an per intensionem, an per transmutationem unius in aliud. Nec praeter hos modos potest alius excogitari; nam in priori modo manet prior entitas, quae erat imperfecta, remota imperfectione per aliquid quod ei superadditur; in posteriori autem modo tollitur illa imperfecta entitas et ei succedit perfecta, sive per conversionem unius in aliam, sive quacumque alia ratione; includunt ergo duo modi immediatam contradictionem; unde non potest excogitari alius qui ad alterum eorum non reducatur. Primus autem modus nullam habet verisimilitudinem. Primo, quia forma substantialis non est intensibilis et remissibilis, ut infra ostendam. Secundo, quia alias praeexisterent actu in materia omnes formae substantiales quae ex illa educi possunt, in gradu quidem remisso, tamen secundum aliquam veram et actualem entitatem, et ita essent simul in materia infinitae entitates actuales, nam formae in infinitum multiplicari possunt. Hoc autem est plane absurdum, tum propter infinitatem entitatum, tum etiam quia materia ex se non habet congenitas huiusmodi formas quasi dimanantes a propria entitate; neque est aliquod agens a quo factae sint; neque sunt ipsi materiae debitae, ut fingamus Deum illas infudisse aut concreavisse. Tertio, quia etiam positis illis imperfectis entitatibus, restat eadem difficultas, quomodo fiat ille gradus vel pars entitatis quae additur praecedenti, quia omnino incipit esse, cum antea nihil esset; nam in formis quae intenduntur secundus gradus non fit proprie ex primo, nisi fortasse ut ex termino a quo; quo modo potius fit posterior gradus ex remissione vel limitatione prioris, quae est privatio ulterioris gradus, quam ex ipsamet entitate positiva prioris gradus; ergo quod unus gradus supponatur non tollit quin

secundus antea sit nihil donec per actionem agentis recipiat esse; ergo de illo gradu restat eadem difficultas, quomodo non fiat ex nihilo. Tandem iuxta illam sententiam tollitur vera generatio et corruptio substantialis, quia solum erit quaedam intensio vel remissio formarum.

7. Nec desunt rationes aeque efficaces contra posteriorem modum; primo enim ex illo sequitur supponi in materia infinitas entitates; nec enim potest fingi una et eadem quae sit inchoatio omnium formarum; nam si quando fit una forma tollitur et destruitur inchoatio eius, manentibus aliis, et ita in omnibus vicissim et mutuo fieri potest, necesse est omnes illas entitates esse inter se distinctas. Secundo, quia si forma perfecta fit ex inchoata per transmutationem vel conversionem, ergo tantum fit una ex alia tamquam ex termino a quo; ergo fit tota entitas formae, quae antea nihil erat actu; nam propter praeexistentem inchoationem non potest dici actu praefuisse, cum sint res distinctae, quarum una perit quando alia incipit; ergo impertinens est illa entitas imperfecta ut forma non fiat ex nihilo; nam etiam illa inchoatio non est aliquid, id est aliqua pars vel aliquis gradus eius formae quae fit. Quod si habitudo ad terminum a quo positivum est necessaria vel sufficit ut res non fiat ex nihilo, etiam ad hoc non est necessaria illa inchoatio, quia sufficit forma contraria seu repugnans, quae semper expellitur quando alia introducitur, quia generatio unius est corruptio alterius. Tertio inquiri potest an illa entitas imperfecta quae abiicitur, et forma perfecta quae introducitur, sint eiusdem speciei essentialis, vel distinctae. Nam si sunt distinctae, ergo unaquaeque est perfecta in sua specie; et si una abiicit aliam, erunt inter se repugnantes; ergo ponere illas inchoationes nihil aliud est quam multiplicare formas in materia sine utilitate; nam ut una forma fiat ex termino repugnante, sufficit una forma contraria vel incompossibilis, quae semper supponitur. Si vero illae entitates sunt eiusdem speciei, nulla potest reddi ratio cur una abiiciat aliam aut cur una fiat in subiecto in quo actu praeexistebat alia.

8. *Quam differentiam inter artefactorum diversorum materias posuerit Aristot*.— Sed obiicies Aristotelem, VII Metaph., text. 21, dicentem in materia esse aliquam partem rei faciendae, et constituentem in hoc differentiam inter artificialia et naturalia, quod in artificialibus solum supponitur materia apta obedire artifici, in naturalibus vero est in materia aliquid formae introducendae. Et confirmatur, quia alias non magis esset naturalis generatio substantiae completae quam effectio rei artificialis in sua materia. Respondetur Aristotelem ipsam aptitudinem materiae ad formam vocare partem rei efficiendae. Ita exponunt D. Thomas et Alexander Alensis, et posset intelligi de parte non ipsius formae, sed totius compositi. Proprius vero sensus est Aristotelem non vocare partem ipsam materiam, sed virtutem aliquam activam, quae interdum est coniuncta materiae, et cooperatur ad rei generationem vel effectionem. Dubitat enim ibi Aristoteles cur ea quae ab arte fiunt interdum fiant etiam casu et absque arte, ut sanitas, interdum vero non contingat fieri sine arte, ut domus; et respondet rationem esse quia interdum in materia ex qua vel circa quam ars operatur, praecedit aliqua pars quae potest esse principium movendi seu operandi circa illam materiam, ut in sanitate praecedit calor animalis, quem contingit aliunde excitari aut iuvari praeter artem, atque ita sine illa et casu quodam efficere sanitatem. Aliquando vero in materia artis nulla est pars activa, ut in lapidibus et lignis, et ideo non potest ex eis effici domus sine arte. Non loquitur ergo Aristoteles de inchoatione formarum, ut recte notarunt D. Thom. et Scotus, sed de virtute quae interdum est in materia ad inchoandum actionem. Et hanc etiam expositionem tradiderunt Commentator et Alexander Aphrod. Unde falsum est et omnino praeter litteram Aristotelis quod ibi constituatur differentia inter artificialia et naturalia; tantum enim constituitur inter artificialia inter se, et potius ibi, text. 31, significat Aristoteles idem contingere in naturalibus, ut D. Thomas notavit; nam interdum passum ex quo generatur res naturalis est in sola potentia passiva, et tunc non potest ex illo generari aliquid nisi ab extrinseco agente naturali; interdum vero habet adiunctam virtutem seminalem activam, quae est quasi pars eius, ut patet in semine aut in grano tritici, et tunc contingit fieri effectum absque alio extrinseco agente. Ad confirmationem respondetur generationem esse naturalem ex parte potentiae passivae naturalis, et consequenter etiam ex parte potentiae activae naturalis, quae passivae respondet; ad artificialia vero ut sic non tam

esse potentiam passivam naturalem quam obedientialem, cui non respondet potentia activa naturalis, sed rationalis seu idealis, quod paulo inferius declarabimus.

*Non omnes formae substantiales creantur*

9. *Plato et Avicenna ab errore vendicantur*.— Secunda sententia fuit aliorum qui, superati difficultate tacta, dixerunt omnes formas substantiales fieri per creationem. Quam opinionem refert Albertus, In II, dist. 18, a. 12, et aliqui eam tribuunt Platoni in Phaedone, eo quod dixerit formas induci in materiam ab ideis separatis, et Avicennae, I Sufficient., c. 10, et IX suae Metaph., c. 4, qui dixit easdem formas induci ab intelligentia separata, quam decimam post novem quae praesunt novem corporibus caelestibus esse dicebat, et praeesse mundo sublunari. Sed hi duo philosophi, licet fortasse erraverint circa principium effectivum substantialium formarum (de quo postea circa efficientem causam dicturi sumus), tamen quod erraverint circa modum efficiendi has formas non constat; neque Aristoteles hoc titulo Platonem impugnat, sed quod separatas ideas sine causa introduxerit, cum huiusmodi res possint a sibi similibus generari. Quae ratio magis urget contra Avicennam; nam Plato fortasse non posuit ideas extra mentem divinam, et ab illis dixit introduci formas, ut ab universali principio, quod agentia proxima non excludit; Avicenna vero erravit quidem tribuens intelligentiis superioribus creationem inferiorum, et infimae introductionem formarum substantialium; non tamen constat ipsum dixisse omnes inferiores formas fieri per creationem. Unde Soncin., VII Metaph., q. 29, arbitratur eius opinionem probabiliter posse defendi; de quo dicemus loco citato de causa efficienti, et iterum inferius tractando de intelligentiis creatis. Cuiuscumque vero fuerit illa opinio, universaliter intellecta improbabilis est; de anima namque rationali vera est et catholica, de aliis vero est falsa, quia alias omnes formae substantiales essent subsistentes et independentes a materia in fieri, et consequenter etiam in esse, quod est absurdissimum, alias omnes animae brutorum essent immortales. Sequela patet, quia creatio et est rerum subsistentium et non pendet a materiali causa, ut infra dicemus. Secundo urget contra hanc opinionem ratio supra insinuata, quia si formae substantiales creantur propter dictam causam, etiam accidentales creari necesse est, quia etiam forma accidentalis fit ex nihilo sui et non praeexistit actu in subiecto, neque secundum se totam neque secundum partem. Quod si hoc concedatur, sequitur ulterius quod, sicut introductio formarum substantialium ob eam causam non est ab agentibus naturalibus, ita neque effectio accidentalium. Atque ita tandem sequitur agentia naturalia nihil omnino agere, quod absurdissimum esse infra ostendemus.

*Resolutio quaestionis*

10. *Prior assertio de anima rationali*.— Vera igitur et peripatetica sententia est inter formas substantiales quasdam esse spirituales, et substantiales, et independentes a materia, quamvis eam vere informent; alias vero esse materiales itaque materiae inhaerentes ut ab ea in esse et fieri pendeant. Prioris ordinis sunt solae animae humanae (agimus enim tantum de formis informantibus), et de illis concedendum est consequens illatum in difficultate tacta, nimirum fieri ex nihilo per veram creationem, quod in proprio loco latius est ostendendum; nunc satis sit dicere id necessario consequi ex principio posito, supposito quod hae animae non praeexistunt antequam corporibus uniantur, quod certum est ex fide et ex illo principio quod sunt verae formae corporis. Immo, licet praeexisterent, non possent nisi per creationem existere, quia non sunt entia necessaria ex se et ex sua quidditate habentia esse, ut universe demonstrabimus infra, partim in disputatione de causa efficienti, partim demonstrando unum tantum esse ens increatum. Si autem rationalis anima non habet esse nisi per efficientiam alterius, et fingitur esse ante corpus, quodammodo clarius et evidentius est habere esse per creationem, quia facta est ex nihilo et absque concursu subiecti vel causae materialis. Dico autem esse quodammodo clarius, quia nunc, dum expectatur dispositio corporis ut anima fiat, videri potest non esse tam propria creatio, quia fit cum aliquali concursu materiae. Nihilominus tamen est vera creatio, quia ex parte corporis non est concursus per se et in genere causae materialis in ipsum esse vel fieri animae rationalis, sed est veluti quaedam occasio exigens creationem illius animae, sine qua occasione nec ipsi animae debetur ut fiat,

nec causa eius ad illius effectionem determinaretur. Quod autem corpus seu materia non influat per se in fieri vel esse animae, constat ex eo quod anima rationalis, separata a corpore, retinet suum esse; ergo non pendet a subiecto sustentante in suo esse; ergo neque in fieri, quia tale est fieri rei quale est esse; ergo et e converso subiectum ipsum seu materia non habet per se influxum in esse aut fieri talis animae; nam haec duo correlativa sunt, vel potius idem, dependentia effectus et influxus causae.

11. *Ex nihilo nihil fit, axioma limitandum*.— Quocirca principium illud, ex nihilo nihil fit, universe intellectum de omni causa et de omni effectu, falsum est et contra rationem naturalem, ut hoc ipso exemplo animae rationalis ostenditur, et exemplo etiam materiae primae, ut supra tactum est, et plura in sequentibus afferemus. Intellectum autem de virtute agentis finiti et naturalis, verum est. Unde quoad hanc formam, concedendum est non esse in proximis agentibus naturalibus virtutem ad efficiendam illam, sed proximum agens disponere materiam, intelligentiam vero separatam efficere formam, non quidem intelligentiam creatam, ut putavit Avicenna, nec ideam separatam et extra Deum existentem, sed Deum ipsum, quem solum esse effectorem rerum omnium quae per creationem fiunt, infra ostendemus.

12. *Materia prima naturalis potentia est ad rationalem animam*.— Dices hinc fieri materiam primam non esse in potentia naturali ad animam rationalem, quod videtur inconveniens. Sequela patet, quia omni potentiae passivae naturali correspondet potentia activa naturalis; sed nulla est potentia activa naturalis quae possit formam hanc in materia efficere; ergo neque in materia est potentia passiva naturalis ad illam. Aliqui concedunt sequelam, tum propter rationem factam, tum etiam quia, si materia esset in potentia ad animam rationalem, cum fit haec anima, diceretur educi de potentia materiae. Sed non placet haec sententia; nam si materia non esset in potentia naturali ad animam rationalem, generatio hominis non esset naturalis, quia neque ex principio activo neque ex passivo esset naturalis. Item, quia materia naturaliter disponitur ultimate ad recipiendam formam rationalem, et sic dispositae iuxta naturae ordinem debetur talis forma; est ergo in potentia naturali ad illam. Ad difficultatem ergo respondetur negando sequelam. Ad primam vero rationem respondetur naturalem potentiam primo et per se esse attendendam in ordine ad actum connaturalem et proportionatum; anima autem rationalis est actus naturalis et proportionatus materiae, et ideo etiam materia est potentia naturalis ad illum actum; unde ex utraque fit quodam ens naturale per se unum, et materia ipsa connaturaliter conservatur sub tali actu. Quod vero attinet ad potentiam activam, imprimis dari potest potentia activa naturalis ad uniendum talem actum tali potentiae, et hoc modo iam respondet potentia activa naturalis potentiae naturali passivae. Deinde, quamvis haec forma a solo Deo fieri possit, tamen Deus in ea actione operatur iuxta modum et ordinem naturis rerum debitum, et hoc satis est ut dicatur operari per modum causae naturalis et ut potentiae passivae sufficiens virtus activa respondeat. Ad alteram rationem respondetur aliud esse materiam continere formam in potentia, et aliud esse in potentia ad formam; nam primum indicat vim causandi formam, nam causa continet effectum in suo genere; secundum vero indicat solum capacitatem ad recipiendam formam. Materia ergo est in potentia naturali ad rationalem animam recipiendam, non tamen illam in potentia sua continet, cum non possit causare illam; ideoque anima rationalis non educitur ex potentia materiae, quia nihil educitur nisi unde continetur, et quia eductio indicat causalitatem materiae in forma, ut iam dicemus.

13. *Formae substantiales omnes, rationali excepta, ex subiecto praeiacente fiunt*.— Secundo, de omnibus aliis formis substantialibus dicendum est non fieri proprie ex nihilo, sed ex potentia praeiacentis materiae educi; ideoque in effectione harum formarum nihil fieri contra illud axioma: ex nihilo nihil fit, si recte intelligatur. Haec assertio sumitur ex Aristot., I Phys., per totum, et lib. VII Metaph., et ex aliis auctoribus, quos statim referam. Et declaratur breviter; nam fieri ex nihilo duo dicit: unum est fieri absolute et simpliciter; aliud est quod talis effectio sit ex nihilo. Primum proprie dicitur de re subsistenti, quia eius est fieri cuius est esse; id autem proprie est quod subsistit et habet esse; nam quod alteri adiacet, potius est quo aliud est. Ex hac ergo parte, formae substantiales materiales non fiunt ex

nihilo, quia proprie non fiunt. Atque hanc rationem reddit D. Thomas, I, q. 45, a. 8, et q. 90, a. 2, et ex dicendis magis explicabitur. Sumendo ergo ipsum *fieri* in hac proprietate et rigore, sic fieri ex nihilo est fieri secundum se totum, id est nulla sui parte praesupposita ex qua fiat. Et hac ratione res naturales dum de novo fiunt, non fiunt ex nihilo, quia fiunt ex praesupposita materia ex qua componuntur, et ita non fiunt secundum se totae, sed secundum aliquid sui. Formae autem harum rerum, quamvis revera totam suam entitatem de novo accipiant, quam antea non habebant, quia vero ipsae non fiunt, ut dictum est, ideo neque ex nihilo fiunt. Attamen, quia latiori modo sumendo verbum illud *fieri* negari non potest quin forma facta sit eo modo quo nunc est et antea non erat, ut etiam probat ratio dubitandi posita in principio sectionis, ideo addendum est, sumpto *fieri* in hac amplitudine, fieri ex nihilo non tantum negare habitudinem materialis causae intrinsece componentis id quod fit, sed etiam habitudinem causae materialis per se causantis et sustentantis formam quae fit, seu confit. Diximus enim in superioribus materiam et esse causam compositi et formae dependentis ab illa; ut res ergo dicatur ex nihilo fieri, uterque modus causalitatis negari debet, et eodem sensu accipiendum est illud axioma, ut sit verum: *ex nihilo nihil fit*, scilicet virtute agentis naturalis et finiti nihil fieri nisi ex praesupposito subiecto per se concurrente et ad compositum et ad formam, si utrumque suo modo ab eodem agente fiat. Ex his ergo recte concluditur formas substantiales materiales non fieri ex nihilo, quia fiunt ex materia, quae in suo genere per se concurrit et influit ad esse et fieri talium formarum, quia, sicut esse non possunt nisi affixae materiae a qua sustententur in esse, ita nec fieri possunt nisi earum effectio et penetratio in eadem materia sustentetur. Et haec est propria et per se differentia inter effectionem ex nihilo et ex aliquo, propter quam, ut infra ostendemus, prior modus efficiendi. superat vim finitam naturalium agentium, non vero posterior.

14. *Quid sit educi de potentia materiae, variis modis explicatur.— Primo.—*
Ex his etiam constat proprie de his formis dici non creari, sed educi de potentia materiae, et quid sit educi de potentia materiae; in quo explicando multi laborant, tum in I Phys., tum in VII Metaph. Sed utrumque breviter declaravit D. Thomas, I, q. 90, a. 2, ad 2. Nam cum illae formae non fiant ex nihilo, non creantur, quia creari est fieri ex nihilo. Cum autem illae formae in potentia materiae contineantur, et per actionem agentis quasi extra illam potentiam fiant, non quod extra materiam existant eiusque potentiam non actuent et adhaereant, sed quod, cum antea tantum continerentur in potentia et in causa, postea sunt actu et extra causam, et ita ex esse potentiali materia, in qua continebantur, in actum educuntur virtute agentis, concurrente eadem materia. Dices: ergo eadem ratione dicentur res educi de potentia agentis, quia etiam in ea continebantur virtute et potestate, et ex hoc esse in potentia educuntur in actum per actionem ipsius agentis. Respondetur absolute negando sequelam, quia illa verba in omni proprietate significant habitudinem causae materialis et non efficientis. Itaque, tam efficiens quam materia potest dici continere effectum, diverso tamen modo; nam agens continet eminenter seu virtualiter, materia vero solum in potentia receptiva seu passiva; cum ergo dicitur forma educi de potentia materiae, peculiariter denotatur haec habitudo materialis causae; agens vero proprie dicitur per virtutem suam educere effectum de potentia in actum.

15. *Secundo*.— Aliter etiam explicari solet quid sit educi formam de potentia materiae, nimirum, quod sit fieri in materia cum dependentia ab illa in esse et fieri, quod convenit omnibus formis substantialibus, excepta rationali. Quae explicatio solis verbis differt a praecedenti; nam (ut supra dicebam) materiam continere in potentia sua, causalitatem seu vim causandi importat ex parte materiae in suo genere; formam ergo trahi aut fieri extra potentiam materiae in qua continetur, nihil aliud est quam fieri actu in materia, concurrente materia ipsa in suo genere per potentiam suam ad fieri et esse talis formae; sed hoc ipsum est fieri formam cum dependentia materiae in fieri et in esse; solumque est diversus modus explicandi per habitudinem effectus ad causam, vel e contrario per habitudinem causae ad effectum. Alia item explicatio occurrit, quae, licet rem diversam a praecedentibus non contineat, tamen eam magis declarat et apta est ad nonnullas difficultates insurgentes explicandas. Formam ergo educi de potentia materiae est fieri eadem actione qua

fit compositum ex materia praecedenti quae per illam actionem non fit; quam expositionem videtur intendisse divus Thomas cum dixit formam non creari, sed educi, quia non est ipsa quae per se producitur, sed compositum, forma vero comproducitur ex praeiacente materia. Et inductione constat ita fieri in omnibus formis quae educuntur ex potentia materiae. Ratio vero reddi potest, quia eductio in hoc consistit quod sit actio vel mutatio per se et essentialiter pendens a materia; per hanc autem actionem simul forma fit et unitur materiae; ideoque per eamdem fit per se primo compositum et comproducitur talis forma, fitque actu extra potentiam materiae, ergo eductio formae de potentia materiae optime per illam actionem declaratur.

*Corollaria ex praecedenti resolutione*

16. *Rationalis anima non educitur de potentia materiae*.— Atque hinc primo intelligitur amplius quod supra dicebamus, formam rationalem non educi de potentia materiae, quia nec continetur in potentia illius, ut extra ipsam educatur, neque fit aut existit dependenter a materia, neque fit eadem actione qua fit compositum, seu qua ipsa unitur materiae; prius enim, saltem natura, in se fit et accipit esse suum independens a materia, et postea alia actione unitur qua totum compositum generatur.

17. *Formaene caelestes educantur de potentia materiae*.— Secundo expeditur ex dictis alia difficultas quae hic occurrebat de formis caelestibus, an, scilicet, dici possint eductae de potentia materiae; nam iuxta priores interpretationes videbatur ita esse affirmandum; nam illae formae pendent in fieri et esse a sua materia; ergo educuntur de potentia illius; nam si pendent in fieri et in esse, ergo causantur a materia; ergo continentur in potentia eius; ergo, cum actu fiunt, educuntur ex potentia eius. Nec satis est respondere illas formas non fieri, sed confieri cum compositis, quia etiam formae rerum generabilium non fiunt, sed confiunt, et nihilominus dicuntur educi propter dictam dependentiam et continentiam. Dicendum vero est cum communi sententia illas formas vere non educi, quia ubi non est totius compositi generatio, nec potest esse formae eductio. Ratio autem a priori est quia, ut supra tactum est, unica est actio qua caelum secundum se totum producitur, et non solum forma, sed etiam materia fit, quae actio est integra et perfecta creatio totius et concreatio materiae et formae, et ideo ibi non est eductio de potentia materiae. Cum ergo dicitur forma educi quae pendet in fieri et esse a materia, intelligitur quando ad ipsam formam vel ad formale esse quod per illam communicatur tendit proprium fieri et propria actio, quae ita materiam praesupponit ut per eam materia non fiat. Et similiter, cum dicitur educi forma de potentia materiae quia in potentia eius continebatur, supponitur materia prius existens in potentia ad formam quam illam actu habeat; materia autem caeli, licet sit potentia ad suam formam, postulat ex natura sua ut non sit in potentia ad illam, quia hoc esse in potentia includit privationem.

*SECTIO III*

*AN IN EDUCTIONE SUBSTANTIALIS FORMAE OPORTEAT MATERIA TEMPORE ANTECEDAT*

1. Haec difficultas nascitur ex praecedenti resolutione, eiusque cognitio est necessaria ad comprehendendam amplius huiusmodi formae originem seu eductionem formae. Explicaturque optime difficultas in formis elementorum, sub quibus haec materia generabilium creata est cum primum fuit producta, de quibus quaeritur an fuerint eductae de potentia materiae. Quibusdam enim videtur idem esse iudicium de his formis et de formis caelestibus, quia etiam elementa tunc non fuere genita, sed creata; ergo formae eorum non fuere eductae, sed concreatae. Item, quia materia nunquam fuit in potentia ad illas formas, quia semper fuit actu sub illis; ergo non fuerunt eductae, quia, ut dicebamus, eductio ex proprietate verbi dicit habitudinem ad subiectum quod prius erat in potentia. Item, in illo initio per eamdem actionem qua fuit creata terra fuerunt simul concreatae materia et forma eius; ergo ibi non est eductio. Tertio, cum creatur angelus vel anima, non educuntur potentiae eius ex capacitate subiecti, quia concreantur; ergo multo minus dicentur educi formae substantiales, quae concreantur cum qualibet materia. Quarto, cum creatur angelus, non

educitur subsistentia aut personalitas de potentia naturae, licet concreetur; ergo similiter, etc. Atque ita his rationibus videtur concludi ad eductionem necessarium esse ut materia tempore antecedat formam.

2. Aliunde autem videtur esse valde dispar ratio de formis elementorum ac corporum caelestium; nam hae tales sunt ut natura sua postulent fieri eadem actione qua fit materia, illae vero minime, sed potius supponunt materiam creatam per propriam et distinctam actionem, et per aliam in eam inducuntur, etiam in prima ipsorum conditione; ergo illa actio qua inducitur forma non potest esse nisi vera eductio. Antecedens probatur, nam actio illa qua creata fuit materia elementaris talis est ut usque nunc eadem perseveret conservando ipsam materiam; actio vero terminata ad formam vel compositum cessavit quando illud compositum corruptum fuit; ergo signum est illas actiones esse ex natura rei diversas. Nec dici potest illas fuisse actiones partiales componentes unam; alias dicendum esset etiam nunc componi unam actionem ex conservatione materiae et eductione formae seu generatione. Nam si fuit una actio composita qua fuit creata haec pars terrae et postea haec terra corrumpitur et convertitur in herbam, cessat actio quantum ad illam partem per quam conservatur forma terrae in illa materia, et loco illius succedit alia, quia[1] inducitur forma herbae in eamdem materiam; actio vero terminata ad entitatem materiae semper manet eadem; ergo si illa de se est partialis et componit unam actionem completam cum actione inductiva vel conservativa primae formae, eadem ratione componit unam actionem cum illa per quam inducitur secunda forma quae priori succedit. Probatur consequentia, quia est omnino eadem ratio, proportio, coniunctio et aptitudo inter has actiones, sicut inter illas; tum etiam quia alias actio illa conservativa materiae esset de se partialis et apta ad componendam unam totalem actionem, et tamen nunc perpetuo maneret incompleta et sine debita compositione. Consequens etiam videtur plane falsum, quia actio qua fit materia est vera creatio, et eadem perseverans est qua conservatur; ex creatione autem et generatione non componitur una actio; sunt ergo illae duae actiones et non duae partes eiusdem actionis; ergo etiam in prima rerum conditione intervenerunt hae actiones distinctae inter se, quamvis tempore coniunctae. Iuxta hunc ergo discursum plane concluditur ad veram eductionem necessarium non esse ut materia tempore antecedat; nam ex illis duabus actionibus, illa quae posterior natura est habet veram rationem eductionis; nam pendet essentialiter a materia, quae per illam non fit, sed creata supponitur. Et confirmatur, nam si fingamus Deum produxisse illam materiam prius informem et post aliquod tempus in eam induxisse formam, nemo negaret eam fuisse veram eductionem; sed, licet haec posterior actio in eodem instanti coniungatur priori, est eiusdem rationis; ergo est vera eductio.

3. Dices: simili argumento probaretur formam caeli educi de potentia materiae, quia si Deus prius tempore creasset illam materiam sine forma, et postea in eam induceret formam, iam tunc educeret illam de potentia materiae. Respondetur negando sequelam, et ad probationem negatur assumptum, quia etiam tunc non posset dici caelum factum per generationem, et consequenter nec forma eius facta per eductionem, quia actio illa ex natura sua non supponit materiam factam; quod vero in illo casu miraculoso illam supponat, est per accidens et non mutat naturam actionis. Et fortasse illa actio qua fieret vel conservaretur materia sine forma vel sub alia forma distincta non esset eiusdem rationis cum ea qua fit sub propria forma. Et ideo in praedicto casu, quando induceretur forma caeli in materiam praeexistentem, cessaret prior actio qua conservabatur nuda, et inciperet nova actio qua ex tunc totum caelum acciperet esse, quae in re esset vera et totalis creatio, quamvis forte non sic denominaretur propter praeexistentem materiam. Quod si quis contendat (quod est probabile) Deum conservare illam materiam per eamdem actionem qua antea eam conservabat, et inducere formam caeli per aliam totalem actionem omnino distinctam, in eo casu (si possibilis est) fatebimur illam posteriorem actionem esse eductionem formae caeli, et consequenter caelum esse generabile miraculoso ac extraordinario modo; negamus tamen

[1] quia, 1960; *alit*. qua. “La sustitución de *quia* por *qua*, de otras ediciones creemos que hace variar poco el sentido.” Cf. BHF, t. II, p. 669.

formam caeli ex natura sua per talem actionem fieri, sicut fit forma elementi; caelum autem nunc factum est modo suae naturae proportionato, et ideo non est similis consecutio. Illam vero differentiam inter caelum et elementum colligimus ex incorruptibilitate unius et corruptibilitate alterius; nam quando materia et forma sunt inseparabiles natura sua, postulant fieri per unam actionem ex se indivisibilem vel omnino vel saltem ex natura rei. Quando vero materia ex se est separabilis a qualibet forma divisive, sub eadem materia possunt variari actiones inductivae formarum, et ideo actio per quam talis materia fit et conservatur distincta est et natura sua praesupponitur ad quamcumque actionem inductivam formae.

4. *Instantiae satisfit*.— Sed dicet rursus aliquis, esto haec vera sint, nihilominus primam formam concreatam huic inferiori materiae non posse dici eductam de potentia materiae, quia non antecessit tempore materia illa ut existens in potentia ad talem formam; neque enim satis est quod ordine naturae antecedat; nam etiam materia caeli ordine naturae antecedit suam formam in genere causae materialis. Immo addunt aliqui ad eductionem formae necessarium esse ut dispositiones etiam in materia antecedant, quod in creatione elementorum dici non potest. Sed hoc de dispositionibus videtur impertinens; nam dispositiones remotae solent tempore antecedere quasi per accidens propter inefficaciam agentis; at si Deus in uno instanti transmutat aquam in vinum, illae dispositiones non praecedunt tempore, et nihilominus illa vera generatio est et vera eductio. Dispositio autem ultima nunquam antecedit tempore introductionem formae; eo autem modo quo in generatione naturali antecedit ordine naturae, antecessit etiam in prima elementorum creatione. Nam revera illa unio formae ad materiam quae tunc facta est, fuit facta cum eadem dependentia ab ultima dispositione quam nunc habet in quocumque elemento; ergo cum eadem causalitate ex parte dispositionis; ergo cum eodem ordine naturae, nam hic ex causalitate sumitur. De ipsa vero materia prima, hoc est quod contendimus, nimirum, ut forma educatur de potentia eius non videri necessarium materiam antecedere ordine temporis sub privatione, sed satis esse quod antecedat ordine naturae; quo modo constat fuisse priorem creationem materiae elementorum inductione formae; nam illae fuerunt duae actiones, ut declaravimus, ita subordinatae, ut inductio formae essentialiter supponat creationem materiae, a qua pendet ut a causa omnino necessaria.

5. *Discrimen inter materiam caeli et elementarem quoad concursum ad effectionem suarum formarum*.— Quod autem haec antecessio sufficiat potest multis modis confirmari. Primo a priori ex dictis; nam illa satis est ut ea inductio formae sit actio eiusdem rationis cum ea quae posterior esset duratione, si Deus prius materiam sine forma crearet et postea eam informaret. Nam sola temporis interruptio non sufficit variare actiones essentialiter; ergo eadem antecessio naturae sufficit ad eductionem formae. Secundo a simili, quia si eodem instanti quo aer creatur, illuminetur a sole, lumen illud educitur de potentia aeris; suppono enim alias illuminationes fieri per eductionem, quod infra ostendam; sed aer tunc solum ordine naturae antecederet introductionem luminis, ut constat; ergo. Maior patet, quia illa illuminatio est propria et per se actio distincta a creatione. Tertio, ex differentia inter materiam caeli et materiam elementi quoad antecessionem ad formam; est enim duplex differentia notanda et quae maxime ad rem pertinet. Prior est quod materia caeli etiam ordine naturae non antecedit simpliciter introductionem propriae formae, quia habet cum illa necessariam connexionem, ita ut sine illa modo connaturali creari non possit; materia autem ignis simpliciter antecedit ordine naturae, quia non habet intrinsecam connexionem cum forma ignis, sed posset sub aliis creari. Posterior differentia, quae praecedentem declarat, est quod materia ignis ita est prior ut ex vi actionis per quam creatur posset esse sub privatione formae ignis. Et hoc modo non solum materia, sed materia ut in potentia, dicitur esse prior natura, non quia in re prius habeat privationem annexam, sed quia ex vi actionis per quam creatur, non caret privatione, sed necessaria est alia actio qua informetur, quae potest habere veram rationem eductionis; materia autem caeli eadem actione qua creatur, informatur, et, licet secundum propriam rationem causandi dicatur prior natura, tamen, ut existens in potentia et aliquo modo sub privatione, nullo modo dicitur natura prior, et ideo non habet eam prioritatem naturae quae ad eductionem formae necessaria existit. Quamobrem

probabilissimum existimo esse longe disparem rationem de prima informatione materiae rerum generabilium et caelestium.

*Resolutio quaestionis*

6. In hac re verum imprimis censeo in creatione rei corruptibilis, sive elementi sive alterius cuiusvis, intervenire duas illas actiones supra declaratas. Quod indicavit Henricus, Quodl. I, q. 10, citans Augustin., XIII Confes., c. 33, dicentem materiam de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia factam esse, quamquam ibi Augustinus indifferenter loquatur de caelis et elementis. Neque est cur hoc mirum videatur, quandoquidem in conservatione ignis vel alterius rei similis duae actiones interveniunt, ut satis declarat illa ratio quod una cessante, alia perseverat. Sed iuxta doctrinam D. Thomae, conservatio, per se loquendo, est eadem actio cum productione; ergo. Immo, in conservatione hominis tres interveniunt actiones, scilicet, conservatio materiae, et conservatio animae, et conservatio unionis seu totius, quas esse distinctas inde recte colligitur quod hac cessante aliae duae manent, et inde etiam recte fit argumentum easdem tres actiones in productione hominis intervenire; ergo idem est proportionaliter in aliis.

7. Deinde verum etiam censeo actionem illam per quam materia generabilium informatur in primo instanti suae creationis, esse eiusdem rationis cum actione qua informaretur ab eodem agente Deo, etiamsi creatio materiae tempore praecessisset. Hoc persuadet illa ratio quod temporis interstitium vel concomitantia nihil refert ad variandas essentialiter actiones. Item, quia illae actiones conveniunt in formali termino vel totali et in principiis vel causis a quibus pendent; ergo nulla est ratio distinguendi illas essentialiter. Ex quo ulterius concluditur illam actionem qua informatur haec materia, etiam in primo instanti quo creatur, non esse creationem, in rigore loquendo et praecise illam actionem considerando. Probatur, quia si illa actio posteriori tempore fieret, non esset creatio ex omnium sententia; ergo neque tunc facta, quia est eiusdem rationis. Et ratio a priori est quia illa actio est ex materia ordine naturae praesupposita. Neque obstat quod terra absolute dicatur in principio creata, tum quia etiam virgulta et animalia dicuntur creata, quamvis certum sit formas harum rerum non esse introductas per rigorosam creationem; tum etiam quia terra dicitur creata, non propter illam unionem praecise sumptam, sed ut coniunctam actioni qua creata est materia terrae; nam quia illae duae actiones factae sunt simul ac per modum unius, ab eis dicitur creata terra. Unde, quamvis eodem verbo dicatur *creavit Deus caelum et terram*, non oportet ut modus creationis seu actionis quae in utriusque productione intervenit sit idem, nisi quantum ad id quod utrique commune est, nimirum fieri ex nihilo; quoad reliqua vero unumquodque creatur iuxta modum et capacitatem naturae suae.

8. Atque hinc ultimo elicio solum de nomine manere quaestionem an eductio formae ex materia locum habeat, etiamsi materia duratione non antecedat, sed natura tantum, seu (quod idem est) an illa prima effectio formae terrae dicenda sit eductio de potentia materiae; nam si nomine eductionis solum significetur positiva ratio illius actionis per quam fit forma dependenter in fieri et esse a materia quae per illam actionem non creatur, sed creata supponitur, revera illa est eductio, ut discursus factus ostendit. Si vero nomine eductionis, praeter dictam rationem positivam et realem connotetur negatio vel extrinseca denominatio, nimirum, quod cum illa actione non producatur simul ipsum subiectum, etiamsi per aliam actionem creetur, sic non poterit illa vocari eductio, ut per se constat, sed dicitur concreatio in sensu statim declarando. Et videtur sane nomen *eductionis* frequentius sumi in hac posteriori significatione, et ideo ita loquendum est cum multis, quamvis oporteat rem ipsam intelligere et explicare cum paucis. Et iuxta hanc loquendi formam conciliantur facile et conceduntur rationes factae pro priori sententia; tamen, ne videantur procedere contra rem a nobis declaratam, oportebit earum solutiones attingere.

*Argumentorum solutiones*

9. Et prima quidem, quae sumitur ex formis caelestibus, iam expedita est, et constituta differentia inter corpora incorruptibilia et corruptibilia. Secunda vero, quae

sumitur ex proprietate verbi *educere*, etiam a nobis admittitur, si tantum ad modum loquendi et ad extrinsecam connotationem respiciat; si vero ad rem et actionem positivam, sic negamus de ratione eductionis esse ut subiectum prius tempore antecedat; sufficit enim prioritas naturae, ut a nobis declarata est. Tertia ratio nitebatur in nomine *concreationis*, in quo est observandum duobus modis dici aliquid concreari alteri: uno modo, quia eadem actione qua aliquid creatur ipsum fit, quomodo materia et forma caeli concreantur cum caelo, et quando forma sic concreatur non educitur, ut in forma caeli declaratum est. Alio modo dicitur concreari quod simul fit cum re quae creatur, quamvis non eadem actione fiat, ut dicitur gratia concreata cum angelis, et sic etiam dicitur forma terrae concreata materiae, et quod sic concreatur potest fieri per actionem quae in re sit eiusdem rationis cum eductione, quamvis propter concomitantiam creationis subiecti eo nomine non appelletur. Et hinc etiam patet solutio ad quartam rationem, quae sumebatur ex concreatione potentiarum in substantia animae vel angeli. Petitur vero in illa ultima ratione specialis difficultas, quae hic poterat quarto loco tractari, de eductione formae accidentalis de potentia subiecti; tamen, quia de forma accidentali sequentem disputationem instituturi sumus, ibi commodius difficultatem hanc explicabimus.

10. *Substantiales modi an educantur ex potentia materiae*.— Quinta vero ratio petit difficultatem aliam de modis substantialibus, an, scilicet, dicendi sint educi de potentia subiecti, ut, verbi gratia, subsistentia de potentia seu capacitate naturae quam terminat; et idem est de modo unionis formae respectu potentiae ipsius formae vel subiecti; immo et de generatione ipsa substantiali quaeri potest an educatur de potentia materiae. De quibus omnibus breviter dicendum est in illis esse quemdam modum vel participationem eductionis, non tamen ita proprie illis convenire sicut formae substantiali; subsistentia enim non fit per propriam actionem, et praeterea non proprie informat, et consequenter non comparatur ad naturam ut ad subiectum et propriam materialem causam, quare ex hac parte non dicitur proprie educi; in hoc autem imitatur eductionem, quod in suo esse et fieri, qualecumque illud sit, omnino pendet a natura quam per se terminat et suo modo actuat, ut latius declarabimus infra tractando de subsistentia. Generatio item substantialis non tam fit quam est via per quam fit substantia; unde non tam educitur quam est ipsa eductio; eo tamen modo quo ipsa generatio fit dum per eam fit terminus, etiam ipsa educitur de potentia materiae a qua materialiter causatur, ut supra dictum est, et ab ipsa essentialiter pendet in fieri et in esse, quae duo in generatione idem sunt. Denique idem iudicium est de unione formae ad materiam, quae tamen non per se educitur, sed educitur forma ut unita materiae, et sic etiam (ut ita dicam) coeducitur ipsa unio. Quod quidem recte dici videtur in materialibus formis.

11. *Unio rationalis animae an educatur de potentia materiae, an ipsius animae*.— In anima vero rationali habet peculiarem difficultatem, quia ex una parte videtur educi illa unio, quia fit per se per propriam actionem distinctam ab ea qua fit forma; dico autem unionem per se fieri ut formalem terminum, nam adaequatus est homo; id autem satis est ad propriam eductionem, quia, ut statim dicemus, forma nunquam est per se terminus actionis nisi formalis et ut quo; illa ergo unio animae ad corpus proprie ac per se educitur. Item, essentialiter pendet in fieri et in esse a corpore ut a materiali causa; ergo proprie educitur. In contrarium vero est quia illa unio est modus quidam spiritualis; ergo non potest educi de potentia materiae magis quam ipsa anima. Patet consequentia, quia repugnat rem spiritualem contineri in potentia materiae. Antecedens vero patet, quia ille modus proxime afficit animam ipsam, quam unit materiae; est ergo proportionatus et consequenter spiritualis, sicut ipsa est. Et confirmatur, quia, si forma non continetur in potentia materiae, neque unio contineri potest, quia unio non est nisi modus formae; ergo, si forma non educitur, neque unio educi potest. Ad hoc dicendum est hunc modum unionis esse veluti medium quodam seu vinculum inter formam et materiam, et ideo utramque attingere et aliqualiter afficere, et ideo ab utraque pendere in fieri et in esse. Quo fit ut hic modus animae rationalis, licet in sua entitate spiritualis sit, conditiones tamen participet rei materialis, quia et a materia omnino pendet et suo modo coextenditur, quamvis ex parte animae extensionem non habeat. Propter hanc ergo causam potest ille modus educi de potentia materiae, quamvis non adaequate

neque primario ex sola illa; nam educitur etiam de potentia ipsiusmet animae, quam per se primo afficit et unit materiae.

## *SECTIO IV*

## *AN FORMA, DUM EX MATERIA EDUCITUR, PER SE FIAT*

1. Haec difficultas oritur ex superioribus et ad eas magis explicandas confert. Nam, cum dictum sit eductionem esse actionem qua ita fit forma in materia dependenter ab illa ut per eam actionem non fiat ipsa materia, inde sequi videtur per talem actionem solam formam per se primo fieri, quod repugnat Aristot., VII Metaph., text. 26 et 27, et lib. VIII, text. 4. Sequela patet, quia per illam actionem sola forma secundum se totam educitur de non esse ad esse, totum autem non fit nisi quatenus coalescit ex partibus iam factis; ergo forma est quae fit, et prius et proprius. Prius quidem, quia, ut totum ex partibus componatur, oportet ut partes supponantur habentes esse. Proprius vero, quia id quod secundum suam entitatem educitur de non esse ad esse proprius fit quam quod solum componitur ex iam existentibus.

2. In hac re prior sententia admittit, quod ratio facta probare videtur, formam proprie ac per se fieri; ita sumitur ex Alberto, II de Anim., tract. I, c. 1 et 3, ubi ait quod inter haec tria, materiam, formam et compositum, forma proprie et primo est ens, quod etiam late defendit Zimara, Theorem. 20. Alii distinguunt duas actiones, etiam in effectione formarum materialium. Unam, qua fit forma; aliam, qua unitur; et de priori concedunt per se primo terminari ad formam, licet posterior terminetur primario ad compositum. Haec opinio sumitur ex Durando, In II, dist. 1, q. 4, ad ultimum.

### *Quaestionis resolutio*

3. Utraque tamen sententia falsa est. Et de hac quidem posteriori dicemus late infra, explicando varios modos causandi efficientis causae. Nunc sufficiat contra illam ratio, quae ex hactenus dictis facile colligi potest; nam formae materiales (de his enim tantum est sermo) non sunt etiam quoad entitatem suam sine concursu materiali subiecti; sed subiectum non influit in formam nisi quatenus sibi unitur, ut constat ex dictis supra de materiali causa; ergo non potest talis forma fieri per aliquam actionem quae non sit unitiva formae ad subiectum; non possunt ergo ibi duae actiones secundum rem distingui, sed solum secundum rationem vel inadaequatos conceptus, vel ad summum secundum partes quae essentialiter inter se coniunctae sint, ut dicto loco declarabimus.

4. *Duplex actionis terminus.*— Prior vero sententia repugnat revera Aristoteli citatis locis, quem sequuntur Commentator, eisdem locis, et XII Metaph., com. 12 et 18, et D. Thom., ibid., et I, q. 45, a. 4 et 8, ubi solutione ad 1 addit formas non fieri per se, sed per accidens tantum, quod est sano modo intelligendum, late utendo verbo *per accidens* prout idem est quod cum alio; proprius vero dicitur forma haec congenerari, ut idem D. Thomas significat in illo a. 4, et q. 65, a. 4. Idem tenet expresse Scot., VII Metaph., q. 10; Anton. Andr., q. 9; Zimar., Theorem. 100; Soncin., VII Metaph., q. 23. Ratio autem est quia eius est per se primo fieri cuius est esse, cum fieri tendat ad esse; sed id proprie est quod subsistit, ergo id proprie fit; sed hae formae non subsistunt, sed composita ex ipsis; ergo ad composita proprie et principaliter terminatur actio. Confirmatur, nam actio est una, ut supponimus; ergo et terminus adaequatus est unus; sed hic non potest esse forma, quia compositum revera fit, et non est forma; ergo. Maioris autem claritatis gratia distingui solet duplex terminus, scilicet, ut quod et ut quo, seu qui absolute fit vel quo aliud fit. Compositum ergo est *terminus qui* seu ut *quod*, quia illud per se primo fit; nam illud maxime intenditur per generationem et in id ultimate terminatur generatio, et a simili patet in artificialibus; nam domus est quae per se primo aedificatur, etc. *Terminus* autem *quo* est forma, quia fit ut per eam compositum constituatur. Unde, quia verbum *educi* proprie tantum indicat habitudinem ad hunc terminum quo, ideo proprie ac simpliciter dicitur forma educi de potentia materiae, non autem compositum; verbum autem *generari* aut *fieri* dicit habitudinem principalem ad id quod est vel quod fit, et ideo simpliciter dicitur de forma et non de materia.

5. Ad argumentum in contrarium respondetur negando sequelam, quia, loquendo de ordine temporis, non prius fit forma quam compositum, neque e converso. Loquendo autem de ordine naturae, compositum non solum prius fit, sed etiam absolute illud solum fit per hanc actionem; forma vero solum confit. Et quamvis demus in aliquo genere causae formam prius natura educi quasi ordine exsecutionis, absolute tamen non intelligitur terminata actio nec factum id quod per se primo intenditur, donec sit totum compositum. Nec refert quod aliqua pars composita supponatur, et non formae; oportet enim quatuor genera actionum distinguere; quaedam enim est actio productiva tantum et non unitiva, et haec semper terminatur ad rem simplicem, et ideo ex se terminari potest ad entitatem partialem, si nata sit hoc modo produci; et talis est creatio animae rationalis, atque idem est de creatione materiae primae, ut opinor. Alia est actio unitiva tantum et non productiva componentium, ut est generatio hominis, et haec sine controversia terminatur tantum ad compositum ut quod et ad unionem ut quo. Rursus, est alia actio ita productiva alicuius compositi ut simul sit unitiva et comproductiva omnium componentium; et huiusmodi est creatio caeli, quam constat per se primo terminari ad compositum, concomitanter vero ad materiam et formam. Alia denique est actio simul unitiva et comproductiva alterius partis componentis ex praesuppositione alterius; et huiusmodi est actio eductiva de qua nunc agimus, et ideo non est de eius ratione ut ipsius adaequatus terminus ita fiat de novo ut nulla eius pars praesupponatur esse.

6. Atque hinc obiter colligitur hanc sententiam non solum in substantialibus formis, sed etiam in accidentalibus veram esse, etiamsi Scotus supra, Anton. Andr. et alii oppositum significent, eo quod ex accidente et subiecto fiat unum per accidens, quod non videtur posse fieri per actionem. et causalitatem per se. Sed sententia proposita vera est, nam Aristoteles universaliter loquitur, et maxime adhibet exempla in accidentibus. Ac tandem in text. 32, expresse et in particulari hoc docet de formis accidentalibus. Nam (ut ibidem ait) ratio eadem est, quia multo magis accidentia non per se fiunt, sed ut unita subiectis et ex illis. Nec refert quod sint entia per accidens, nam realem et veram ac physicam compositionem habent, quam per se includit illa actio; et ideo per illam fit per se primo compositum accidentale, nam et actio ipsa accidentalis est.

## *SECTIO V*

## *QUAE SIT PROPRIA RATIO FORMAE SUBSTANTIALIS PROPRIAQUE CAUSALITAS EIUS IN SUO GENERE*

1. *Descriptio formae in genere*.— Ex dictis de existentia formae substantialis, et de modo quo fit, facile intelligi potest quid ipsa sit et quem modum causandi habeat; utrumque autem hac brevi descriptione comprehendere possumus: forma est substantia quaedam simplex et incompleta, quae ut actus materiae cum ea constituit essentiam substantiae compositae. In qua descriptione substantia ponitur loco generis, eo modo quo a Philosopho distinguitur in materiam, formam et compositum. Et per eam particulam distinguitur haec forma ab accidentalibus, quae substantiae non sunt; distingui etiam potest a modis substantialibus; nam, licet hi ad praedicamentum substantiae revocentur, non tamen sunt substantiae in ea proprietate; unde neque ab Aristotele in ea partitione enumerantur, quia non sunt proprie entitates substantiales, ut est forma, quae hac ratione substantia dicitur. Additur vero *simplex* et *incompleta* ut per priorem particulam a composita substantia separetur, per posteriorem vero a substantiis separatis, quae interdum vocari solent formae assistentes, ut illae quae movent corpora caelestia, quae revera non exercent munus causae formalis, sed efficientiam aliquam; quare non sunt formae substantiales prout nunc de illis loquimur.

2. *Forma quomodo dicatur actus corporis physici*.— Reliqua pars definitionis distinguit formam a materia, quae etiam est substantia simplex et incompleta, tamen ut potentia; forma vero ut primarius actus illius potentiae. Et ideo Arist., II de Anima, definivit animam esse *actum corporis physici*, etc. Quae definitio potest facile ad formam in communi accommodari, si nomine actus substantialem actum intelligamus, ut intelligi debet, et solum dicamus formam esse actum corporis physici, reliquam partem auferendo quae animam secernit a formis inanimatorum. Possumus autem per corpus physicum intelligere, vel

materiam ipsam, quatenus est altera pars compositi naturalis, quae, ut forma informetur, semper supponitur ordine naturae in suo genere causae quantitate et aliquibus proximis dispositionibus affecta, et ea ratione corpus physicum appellari potest. Vel etiam possumus per corpus physicum ens ipsum naturale intelligere quod ex materia et forma constat, cuius actus dicitur forma tamquam constituens illud; quomodo etiam Aristoteles definivit esse *actum viventis* seu *quo vivimus*, Utramque igitur habitudinem in dicta parte nostrae descriptionis explicuimus; nam forma substantialis ita est substantia incompleta ut sit actus materiae, actus (inquam) vel actu informans vel natura sua institutus ad informandam materiam, nam verba (ut aiunt) in definitionibus dicunt aptitudinem, et ita comprehenditur anima rationalis, etiamsi a corpore separata sit. Et hinc consequenter habet ut cum materia componat essentiam entis naturalis, quod est substantia composita; et ideo Arist., II Phys., c. 3, ait *formam esse essentiae seu quidditatis rationem*, id est, quae compositi naturalis essentiam complet et ab aliis essentialiter ac quidditative eam distinguit.

3. Atque hinc explicata etiam est causalitas formae; nam quia forma essentialiter est actus, ideo includit intrinsece habitudinem transcendentalem ad id cuius est actus, et ad actuationem quam in illud exercet; ideoque vix potest ratio formae, nisi per habitudinem ad eius causalitatem, declarari. In qua possumus quatuor illa considerare quae in omni causa expectamus, scilicet, formale principium causandi, conditionem necessariam ad causandum, causationem ipsam et effectum qui causatur, quae omnia sigillatim explicanda sunt, sicut in materia fecimus, licet, suppositis quae ibi diximus, brevius hic expediri possint.

## *SECTIO VI*

## *QUAE SIT RATIO CAUSANDI FORMAE*

1. Tria sub hoc titulo complecti possumus, scilicet, principium causandi, quod sit veluti actus primus, conditiones necessarias ad sic causandum, et causalitatem illam in actu secundo.

2. Quoad primum dicendum est principium causandi non esse aliud quam entitatem et naturam ipsius formae, quae per seipsam et entitatem suam causat, exhibendo (ut ita dicam) sese totam materiae seu composito. Ad quod non indiget alia facultate vel potentia distincta a seipsa, sed per seipsam est essentialiter apta ad hanc causalitatem exercendam. Unde, sicut supra dicebamus in materia non distingui principale et proximum principium causandi, quia potentia receptiva per quam causat non est proprietas eius, sed ipsamet essentialiter, ita in forma considerari potest quasi potentia quaedam vel aptitudo ad causandum formaliter, quae manet, verbi gratia, in anima separata, etiamsi actu non informet, et illa aptitudo est proximum principium causandi formaliter. Non est tamen distinctum a principali, quia illa aptitudo non est proprietas superaddita entitati formae, sed est essentialis ratio et specificatio eius; nam forma essentialiter est actus actuans; de essentia autem huiusmodi actus est aptitudo ad actuandum. Item, quia ex materia et forma ideo fit per se unum, quia non interventu alicuius proprietatis vel accidentis uniuntur, sed immediate per seipsas, propter proportionem et mutuam aptitudinem quam ad se habent per suasmet entitates incompletas ad idem genus pertinentes, ut sumitur ex Aristotele, VIII Metaph., c. 6, et II de Anima,. c. 1, ubi id adnotat Commentator, com. 7, et alii scriptores, VIII Metaph.1; D. Thomas, II cont. Gent., c. 70, et I, q. 76, a. 7; et alii theologi, In II, dist. 12, praesertim Scotus, q. 1; et Durand., q. 2; ergo, sicut in materia non est fingenda potentia distincta quae mediet inter ipsam et formam, ita neque in forma cogitanda est aptitudo quae sit aliquid distinctum ab ipsamet forma. Dices: quomodo potest forma, quae tantum distat in sua natura a materia, illi per seipsam immediate uniri? Quod maxime videri potest difficile in anima rationali, quae spiritualis est. Respondeo imprimis non esse tantam distantiam quin in eodem genere conveniant. Deinde, distantiam nihil obstare, si sit debita proportio; ut enim dixit Plato in Timaeo, mutua proportio est quasi vinculum inter res quae proxime ac per se uniuntur; proportio autem haec consistit in ratione actus et potentiae et in naturali et essentiali aptitudine et mutua habitudine quam inter se habent.

*Conditiones necessariae ut forma causet*

3. *Actualis existentia*.— Quoad secundum, de conditionibus necessariis ad hanc causalitatem exercendam, tres videntur posse conditiones assignari. Prima est actualis existentia ipsius formae, de qua diversimode sentiendum est iuxta diversas sententias de existentia creaturae et distinctione eius ab essentia. Quamquam in nulla opinione videatur existentia proprie dici conditio necessaria ad causalitatem formae; nam si existentia est res distincta ab essentia, non potest dici conditio formae ad causandum, sed potius effectus, vel in genere causae formalis, prout dicitur forma dare esse, vel in genere causae efficientis, prout dicunt aliqui existentiam manare ab essentia, vel, ut alii volunt, in genere causae materialis, quatenus forma complet essentiam, quae est proximum receptaculum existentiae. At vero, si existentia in re non distinguitur ab essentia actuali, existentia formae non potest proprie dici conditio necessaria ad causandum; conditio enim requisita, si proprie loquamur, distinguitur ab ipsa ratione causandi; existentia autem non potest sic distingui iuxta illam opinionem, quia forma causat per suam entitatem actualem, quia non potest intelligi actu causare nisi ut habens entitatem suam actualem et extra causas; ergo ut habens existentiam. Atque haec opinio magis probanda est; quia sicut actualitas formae non est conditio distincta a ratione causandi seu actuandi, ita neque existentia, quae intime includitur in ipsa actualitate. An vero necesse sit existentiam formae esse praeviam ad causalitatem eius, dicendum est non esse necessarium ut sit praevia ordine durationis, quia talis antecessio est impertinens; immo naturaliter non est possibilis, quia formae non debetur esse donec illam postulet subiectum proxime aptum, quo posito, forma, simul ac est, naturaliter illud informat. Rursus, neque necesse est existentiam formae ita esse praeviam ordine naturae ut intelligatur aliquod signum vel momentum in quo existat et non informet, quia neque hoc est necessarium ad prioritatem naturae neque in formis quae a materia pendent intelligi potest, ut ex dictis sectione praecedenti constat. Antecessio autem naturae secundum aliquod genus causalitatis intervenire potest et necessaria est; nam causalitas formae ab eius entitate et existentia pendet; unde necesse est ut inter existentiam et causalitatem formae sit ordo naturae ex quo sumitur *prioritas* (ut aiunt) *a quo,* non *in quo*. De quibus prioritatibus plura in sequentibus.

4. *Intima propinquitas formae ad materiam*.— Altera conditio necessaria assignari potest: praesentia seu intima propinquitas entitatis formae cum entitate materiae; quae conditio est verissime assignata adeoque necessaria ut sine illa, etiam de potentia Dei absoluta, non possit forma suum effectum formalem praestare. Quis enim intelligat formam substantialem loco distantem a corpore componere substantiam per se unam? Haec ergo compositio per intimam unionem fit, quae non est quidem localis praesentia, sed aliquid distinctum ab illa, necessario tamen illam requirit. Quod ex dictis supra in simili de materia, declarari amplius ac persuaderi potest; nam quoad hoc eadem est ratio de forma.

5. *Dispositiones connaturales formae*.— Tertia conditio assignari potest dispositio accommodata ex parte materiae, quam necessario forma requirit ut suum effectum formalem conferre possit. Quam dispositionem aliqui existimant adeo esse necessariam ut etiam per potentiam absolutam non possit forma informare materiam omni carentem dispositione, praesertim quantitate. Ita Henric., Quodl. VII, q. 17. Verumtamen, quidquid sit an ex parte materiae vel quantitatis repugnet illam ab hac separari, quod tractare non possumus usque ad disputationem de quantitate, nihilominus, si semel supponatur materiam posse conservari a Deo sine quantitate, quod verius existimamus, non repugnabit conservari etiam a Deo talem materiam in eo statu informatam substantiali forma, quia nulla est tam essentialis connexio inter formam, ut exercentem suum intrinsecum effectum formalem, et haec accidentia, ut non possit a Deo sine illis conservari. Non intercedit igitur tam absoluta necessitas; quod vero haec conditio modo naturali et physico necessaria sit, experientia ipsa docet. Hinc enim provenit naturalis rei corruptio, per quam forma a materia separatur, quae incipit per abiectionem seu corruptionem dispositionum; ergo signum est esse huiusmodi dispositiones saltem conditiones necessarias ex natura rei ut forma informet materiam. An vero sint

conditiones praeviae vel consequentes formam ordine naturae, petendum est ex dictis disputatione praecedenti.

*Causalitas formae explicatur*

6. Quoad tertium de causalitate actuali ipsius formae, quidnam sit, non est facile ad explicandum; tamen, ex his quae dicta sunt de materia, procedere proportionate possumus ad id declarandum. Et imprimis certum videtur huiusmodi causalitatem aliquid esse in rerum natura distinctum ex natura rei ab entitate formae. Probatur, quia sicut agere aliquid est in rerum natura, ita et informare, quia vere est realiter ac physice causare. Rursus illud, quidquid est, est in re ipsa separabile a forma; nam in anima rationali de facto separatur et in qualibet forma substantiali separari posset per potentiam Dei absolutam; nam potest extra materiam conservari, sicut conservata est quantitas; est enim eadem vel maior ratio; ergo distinguitur ex natura rei ab illa.

7. *Unio formae ad materiam est formae causalitas.— Notandum inter causalitatem efficientis et formae discrimen*.— Deinde dicendum est hanc causalitatem nihil aliud esse posse praeter actualem unionem formae ad materiam. Probatur primo a sufficienti enumeratione, quia neque est materia, neque forma, neque compositum; ergo est dicta unio; nam praeter haec nihil aliud excogitari potest; et antecedens quoad omnes partes est per se evidens. Nam de forma iam probatum est; et eadem ratio a fortiori probatur de materia; compositun autem est ultimus effectus huius causalitatis, ut statim dicetur; non est ergo causatio ipsa. Item, compositum includit entitatem materiae et formae; causalitas autem formae praecise sumpta non potest haec omnia includere. Praeterea, posita unione et praeciso quocumque alio, praeter ea quae dicta sunt, forma necessario exercet suam causalitatem; positis autem omnibus aliis et ablata unione, impossibile est formam exercere suam causalitatem; ergo signum est in unione consistere talem causalitatem. Maior patet, quia si forma unitur materiae, necessario communicat illi seipsam per seipsam, id est, non efficiendo aliam similem sed suammet perfectionem et entitatem illi communicando et hoc modo illam actuando. Et inde etiam necessario consurgit substantialis natura composita per se una; sed in hoc consistit tota causalitas formae totusque effectus eius, qui, ablata unione, permanere non potest, ut per se notum est; ergo. Unde in hoc est notanda differentia inter unionem, quam diximus esse causalitatem formae, et actionem, quam postea dicemus esse causalitatem efficientis, quod actio ita est causalitas agentis ut agens, quatenus agens est, omnino maneat extra effectum; quia, licet per actionem communicet se, non tamen seipsum per seipsum dando effectui, sed similem aliquam entitatem ei conferendo; unio vero ita est causalitas formae ut ea mediante seipsam praebeat vel materiae vel composito; est enim causa intrinseca per seipsam causans. Quo sensu dici etiam posset causalitatem formae complecti in se entitatem formae, seu hanc causalitatem esse ipsam formam, non absolute sumptam, sed unitam. Sed in hoc loquendi modo confunditur causa cum causalitate et ratio causandi quasi in actu primo cum causatione, quae est quasi actus secundus, et ideo formalius et magis praecise dicitur haec causalitas in ipsa unione consistere.

8. *Dubiolum*.— Sed occurrit difficultas, nam haec unio duplici modo contingit in diversis formis substantialibus. In quibusdam enim est pura unio, id est, sine inhaesione vel dependentia formae, ut in animabus rationalibus; in aliis vero est unio quae simul est dependentia et quasi inhaesio forma in materia. Prior ergo unio non potest esse causalitas formalis rationalis animae, quia est ab ea effective; causalitas autem effectiva longe diversa est a formali. Ante cedens patet, quia hoc ipso quod anima creatur a Deo in corpore disposito, statim ipsa quasi naturali impetu sese unit materiae efficiendo unionem; nam, cum anima naturaliter sit propensa ad illam unionem et habeat applicatum proprium subiectum perfectibile ab ipsa, non est cur non possit ipsa quasi naturali pondere sese corpori copulare, ut sensit Henric., Quodl. XI, q. 14; et Aureol., apud Capreol., In IV, dist. 43, q. 2; et probabile existimat ibi Richard., a. 3, q. 2. Posterior item unio non potest esse causalitas formalis respectu aliarum formarum, quia illae formae per ipsam unio est ulla sufficiens ratio cur ex illa inferatur, maxime cum in omnibus aliis formis probabilius videatur unionem non

esse effective a forma. Secundo, etiamsi illa sententia admittatur, neganda est consecutio; nam etiamsi unio ad corpus sufficienter dispositum effective manet ab anima rationali, nihilominus esse potest formale vinculum quo anima coniungitur materiae ut actus potentiae. Nihilque repugnat quod eadem unio sit ab anima in duplici genere causae, effectivae scilicet et formalis, vel quod. sit effectus animae, ut efficiens, et quod sit ratio causandi formaliter totum compositum; nulla enim repugnantia in his diversis habitudinibus involvitur.

10. *Unio quae est causalitas formae ab hac et a materia causatur.— Unionis variae acceptiones*.— Ad posteriorem partem respondetur eamdem unionem causari et a forma et a materia et ab efficiente, ab unoquoque in suo genere causae, quia ab omnibus illis pendet; ideoque non repugnare ut eadem unio, quatenus est a forma. sit quasi via seu ratio qua mediante forma causat totum compositum; et quatenus est a materia, sit ratio qua mediante forma materialis in suo esse a materia pendet. Est enim illa unio nexus utriusque, scilicet, materiae et formae, et ideo quando talis est unio ut etiam sit inhaerentia, simul esse potest et via (ut ita dicam) materiae ad formam et formae ad materiam. Nec refert quod causalitas formae debet esse a forma, et ideo supponere debet eam esse priorem ordine naturae; nam, ut supra attigimus, haec prioritas non est in quo, sed a quo; non repugnat autem quod eadem unio et sit a forma ut informante materiam, et sit talis nexus formae cum materia, ut illo mediante forma sustentetur a materia. Atque ita eademmet unio quatenus est a forma est medium seu ratio qua mediante forma actuat materiam et componit compositum, et hoc modo dicitur esse causalitas formae; quatenus vero per illam forma materiae adhaeret et sustentatur ab illa, est dependentia eiusdem formae a materia. Est enim tam intrinseca connexio inter huiusmodi formam et unionem, ut diversis rationibus mutuo inter se pendeant. Ad confirmationem respondetur unionem interdum accipi pro actione, quae ad tollendam aequivocationem solet dici unitio; interdum vero ac magis proprie sumi pro ipso modo unionis vel inhaerentiae permanentis in facto esse inter materiam et formam, et aliquando sumi etiam pro relatione consequenti, ut latius annotatur in III, q. 2, a. 8. Cum ergo dicimus unionem esse causalitatem formae, non est sermo de relatione, ut per se notum est; nam haec si sumatur ut aliquid distinctum ab aliis, vel nihil est vel quid posterius est. Neque etiam est sermo de actione, de qua procedit dicta confirmatio; fatemur enim formam, praesertim illam quae educitur de potentia materiae, non esse proprie causam formalem illius actionis per quam educitur, ut citato loco ostendimus, quia est terminus eius, unde illa actio aliquo modo active comparatur ad ipsam formam, et ideo non potest vere ac proprie causari ab ipsa forma. Loquimur ergo de modo unionis, de quo est longe diversa ratio, quia non comparatur active ad formam, sed est quasi formalis nexus inter ipsam et materiam, et ideo potest habere dependentiam ab utraque, ut declaratum est.

11. Hic vero occurrebat statim difficultas, cur hic modus unionis magis attribuatur formae quam materiae. Sed huic satisfactum est disp. XIII, sect. 6. Neque hic aliquid addendum occurrit.

## *SECTIO VII*

## *QUIS SIT EFFECTUS CAUSAE FORMALIS*

1. Duo tantum effectus sunt qui formae attribui possunt, scilicet, compositum et materia; nam de generatione vel unitione iam dictum est non posse esse proprie effectum eius. De unione vero ipsa in facto esse, constat ex dictis non posse dici proprie effectum, nisi fortasse eo modo quo actio dicitur effectus agentis, quatenus ab illo est, quamvis proprius dicatur via ad effectum.

### *Explicatur prior effectus formae*

2. *Primarius effectus formae compositum est*.— Quoad compositum ergo satis clarum est ex dictis illud esse proprium ac primarium effectum formae; nam ex illa intrinsece et essentialiter constat, et ab illa habet speciem et (ut ita dicam) pulchritudinem suam; nam ipsa complet essentialem naturam et rationem eius, ut ex Aristotelis definitione supra tradita constat. Item materia est causa compositi, ut supra ostensum est; ergo multo magis forma,

quia magis confert ad esse compositi; ergo e converso ipsum compositum est effectus formae, nam in suo esse ab illa maxime pendet.

3. *Unica unione et materiam et compositum causat forma*.— Sed obiiciunt aliqui, nam si compositum est proprius et primarius effectus formae, ergo propria causalitas formae erit constituere compositum; hoc autem verum esse non potest, quia forma prius natura actuat materiam quam compositum; nam cum essentialiter sit actus materiae, prius respicit materiam, et per illam compositum; ergo compositum non est primarius effectus formae, sed materia ut actuata seu ut informata; ex quo effectu consequitur compositum ut posterior effectus. Respondeo his vocibus non explicari duas causalitates ut duos effectus formae, sed unum dumtaxat sub diversis habitudinibus. Unica est enim unio formae ad materiam, et illa posita et praecisa omni alia re vel modo reali, materia manet informata per formam, et compositum ex utraque resultat, quamvis in ipsa forma possint diversae relationes considerari respectu materiae vel compositi. Rursus materiam esse actuatam forma non est effectus ex natura rei distinctus a composito, quia per materiam ut informatam non intelligimus solam materiam cum aliqua denominatione quasi extrinseca; nam hic conceptus vel nullus est vel non est conceptus alicuius effectus realis, sed denominationis quam intellectus confingere potest ex concomitantia vel habitudine ad formam ut praesentem; sed per materiam informatam intelligimus materiam ut intrinsece affectam forma; includit ergo materia ut informata, et materiam ipsam, et formam, et unionem. Sed compositum haec tria includit et nihil aliud; ergo haec non sunt in re distincta; ergo non sunt duo effectus, sed unus diversimode a nobis conceptus et declaratus.

4. Et confirmatur ac explicatur a simili; nam in forma accidentali non est aliud informare subiectum et componere cum illo compositum accidentale; ut in albedine dealbare nivem et constituere hoc album ut sic, idem sunt; ergo idem est proportionaliter in forma substantiali. Respondent esse disparem rationem, quia ex subiecto et albedine fit unum per accidens, quod non est aliquid distinctum ab extremis simul sumptis et unitis; ex materia autem et forma fit unum per se, quod oportet esse aliquid praeter illa tria, etiam simul sumpta, ut possit esse magis unum. Sed haec responsio falsam doctrinam supponit; impossibile est enim substantiam compositam in re aliquid includere praeter illa tria simul sumpta. Quod infra ostendam, disputando de essentia substantiae materialis. Neque in eo consistere potest differentia inter ens per se et per accidens, sed in hoc quod ipsamet unio et extrema unionis omnia sunt eiusdem ordinis in ente per se uno, non vero in ente per accidens. Unde etiam fit ut in ente per se uno, unio sit intimior et orta ex maiori proportione unibilium inter se. Quod vero in hoc solum et non in alio sita sit differentia demonstrari potest, quia tam ens per se unum, prout nunc de illo agimus, quam ens unum per accidens non est unum unitate simplicitatis, sed unitate compositionis seu unionis; ergo maior unitas entis per se compositi consistit in nobiliori unione et maiori proportione unibilium et non in additione tertiae entitatis intelligibilis, quae, si sit simplex et ipsa sola praecise sumpta dicatur esse per se una, non erit una compositione, et ita non erit compositum illud quod per formam constituitur. Si vero illud tertium sit unum intrinsece includens materiam et formam et unionem earum, nihil his adiungere oportet ut illud sit per se unum; immo inde potius minueretur haec unitas, nam plura aggregarentur in eo composito sine ulla necessitate. Retinet ergo ratio facta vim suam, quod si in accidentali forma actuari subiectum et constitui accidentale compositum, verbi gratia, album, idem sunt in re, etiam in substantiali forma actuari materiam et compositum constitui idem sunt. Neque unitas per se hoc impedit, sed maiori ratione id postulat.

5. Ad rationem ergo in contrarium, concedenda est sequela, nimirum, essentiam substantialem compositam esse primarium effectum formae in suo genere, et consequenter praecipuam causalitatem formae esse constituere idem compositum, non utcumque, nam hoc absolute dictum commune est materiae, sed ut perficientis et complentis essentiam; materia enim inchoat illam, forma vero complet. Cum vero additur formam prius natura actuare materiam quam constituere compositum, negatur assumptum, quia illa non sunt duo, sed unum in re, unde non est inter ea causalitas et consequenter nec ordo naturae, sed ad

summum potest esse ordo rationis secundum conceptus inadaequatos. Neque obstat quod forma essentialiter sit actus materiae, nam aeque essentialiter est pars compositi; immo, si inter haec facienda esset comparatio, essentialius est pars compositi quam actus materiae, quia forma non est propter materiam, sed propter compositum; re tamen vera haec non sunt duo in ipsa forma, sed unum fundans duas relationes. Ex quo potius retorquetur argumentum; nam, sicut forma una et eadem aptitudine est pars compositi et actus materiae, ita eadem exhibitione se totam dat materiae et composito, huic ut toti, ut comparti; ergo etiam in effectu idem est et omnino simul quod materia sit informata forma et compositum constitutum; est ergo compositum proprius et primarius effectus formae substantialis, et fortasse unicus in genere causae formalis; sed de hoc postremo puncto dicendum est in sectione sequenti.

*An forma sit perfectior composito*

6. Prius vero solvenda est occurrens obiectio; nam causa esse debet nobilior effectu, teste Commentatore, II Phys., com. 4; sed forma non est nobilior composito; ergo non potest compositum esse proprius effectus formae. Ad hanc obiectionem respondent aliqui negando minorem; nam Aristot., VII Metaph., text. 7 et 8, praefert formam composito, dicens esse magis ens et prius illo. Atque ita sentit ibi Comment., et absolute defendit Zimara, Theorem. 10, qui etiam refert Lynconiensem. Et probat quia quidquid perfectionis est in composito est in sola forma, et materia nullam addit perfectionem; et aliunde tota illa perfectio est in forma tamquam in causa, et illa est quae secum affert esse, quod non convenit composito nisi ratione illius; ergo illa est simpliciter perfectior. Sed haec responsio falso fundamento nititur; nam sine dubio compositum est perfectius sua forma. Quae est aperta sententia Aristotelis; nam in II de Anima, in principio, et ubicumque distinguit substantiam in materiam, formam et compositum, praefert compositum formae et formam materiae; immo infra, agentes de substantia, ostendemus analogice de illis dici et ita explicuit Commentator, II de Anima, com. 3; et ideo dixit Aristoteles in praedicamento substantiae primam substantiam esse maxime substantiam, ubi, licet comparet primam ad secundam, tamen etiam praefert primam et completam substantiam partibus et incompletis substantiis. Unde etiam Commentator, XII Metaph., com. 15, dicit compositum esse maioris nobilitatis quam sit materia vel forma, et refertur Alexander in eamdem sententiam. Quam etiam tenet Simplicius, in I Phys., text. 70, et II Phys., text. 4.

7. Ratio vero est quia compositum includit quidquid est perfectionis in forma, et addit aliquid; ergo est perfectius. Antecedens probatur ab aliquibus2, quia compositum includit esse, quod non includit forma. Sed haec ratio nullius momenti est; nam vel existentia distinguitur in re ab essentia actuali vel non; si non distinguitur, sicut essentia composita includit suum adaequatum esse, ita forma suum proprium esse; si vero distinguitur, primum ratio illa non habet locum in homine quia esse prius convenit animae quam homini. Deinde, ut recte fiat comparatio, debet fieri inter essentiam formae et essentiam compositi praecise, et sic non procedit illa ratio; vel si fiat comparatio formae ad compositum ut includit esse, etiam forma sumi debet ut includens suo modo esse; nam per se primo debetur ut primae radici ipsius esse; quae per illud etiam existit, quamvis denominatio existendi simpliciter tribuatur composito propter modum subsistendi. Probatur ergo antecedens, quia compositum includit perfectionem formae et praeterea includit perfectionem materiae. Respondet Zimara a materia nullam sumi perfectionem, sed omnem potius imperfectionem. Fallitur tamen, quia, ut supra ostensum est, materia habet veram realitatem et essentiam partialem; unde necesse est ut habeat aliquam perfectionem in latitudine entis, et maiorem quam accidentia. Item subsistentia perfectio est; hanc autem habet substantia materialis maxime ratione. materiae. Item materia secum affert suum partiale esse, quae omnia constabunt infra, latius tractando de subsistentia et existentia. Et hoc sensu applicata prior ratio est efficax; nam compositum habet esse completum, esse autem formae est incompletum. Denique unio formae ad materiam aliqua perfectio est; alioqui cur forma illam naturaliter appeteret? Hanc

[2] Soncin., VII Metaph., q. 28.

autem perfectionem includit compositum, non vero forma. Respondet aliter dictus auctor, quamvis compositum formaliter includat aliquam perfectionem praeter formam, non sequi esse perfectius forma, quia omnis illa perfectio est a forma et virtute in illa continetur. *Sicut* (inquit) *Deus et mundus non est quid perfectius quam Deus solus*. Sed imprimis, ut minimum, falsum erit quod asserit formam esse perfectiorem composito; sicut Deus solum non est perfectior Deo et mundo simul. Deinde falsum est formam continere eminenter aut virtute totam perfectionem compositi; non enim habet in virtute perfectionem materiae nec causalitatem eius ullo modo supplere potest, maxime cum ipsa pendeat a materia. Tandem forma est propter compositum tamquam propter finem proprium ac praecipuum; huiusmodi autem finis perfectius quid est eo quod ad finem ordinatur, II Phys., text. 31.

*Exponitur Aristotelis locus ex VII Metaph.*

8. *Prima expositio*.— Ad Aristotelem in VII Metaph., respondetur varie locum illum exponi. Prima expositio est Aristotelem in eo text. 7 non loqui de prioritate perfectionis, sed de prioritate causalitatis; sic enim virtute colligit Philosophus: forma est prior materia et materia prior composito; ergo forma est prior composito. At si loqueretur de prioritate perfectionis, minor esset falsa; loquitur ergo de prioritate causalitatis. Ita Albertus Magnus et Scotus, et indicat D. Thom. Sed non placet expositio. Primo, quia ratio illa argumentandi non est formalis, cum mutetur genus causae. Deinde, quia melius et brevius concluderet formam esse priorem composito quia est causa eius. Tertio probatur, quia Aristoteles non tantum dicit esse priorem, sed etiam esse magis ens. Verum est Aristotelem in illatione non repetere quod sit magis ens, sed solum quod sit prior; et ideo Iavellus ibi, q. 4, dicit comparationem inter formam et materiam fieri in prioritate et perfectione, inter formam autem et compositum in prioritate tantum. Sed hoc est praeter expositionem omnium; nam ex modo colligendi et arguendi quo utitur Philosophus constat aut brevitatis causa fuisse in consequenti omissam illam particulam, quae ex virtute antecedentis intelligebatur, vel certe sub prioritate comprehensam esse prioritatem perfectionis. Secunda expositio est formam esse priorem et perfectiorem non simpliciter, sed secundum quid, ita ut Philosophus virtute sic colligat: forma est prior et perfectior materia, quia illa est actus, haec potentia; ergo forma est etiam perfectior et prior quam compositum, saltem secundum aliquid, scilicet, quia forma est actus simplex non includens potentialitatem; compositum autem includit potentialitatem materiae. Ita D. Thomas et Alensis ibi; et Soncin., VII Metaph., q. 28. Duo vero obstant huic expositioni: unum est quod propter excessum secundum quid non debuisset Aristoteles simpliciter id affirmare et colligere, praesertim cum in antecedente absoluta sit comparatio, quia forma simpliciter est perfectior materia. Aliud est quod etiam secundum quid non videtur compositum minus perfectum quam forma, nam includere potentialitatem materiae non est imperfectio in composito comparatione formae informantis, sed solum comparatione substantiae completae immaterialis. Sicut rem esse simpliciorem non est semper maior perfectio, etiam secundum quid, quando talis res ordinatur ad componendum unum aliquid simpliciter perfectius.

9. Quocirca existimo Aristotelem nullo modo ibi praeferre formam composito, sed vel nullam inter ea facere comparationem vel potius praeferre compositum formae, quod notavit Simplicius, citato loco, et constat ex versione Argyropoli, quae sic habet: *Si forma prior materia est, et magis ens, illud quoque quod ex ambobus est, prius erit ob eamdem rationem*. Unde antiqua versio decepit expositores, quia loco nominativi *ipsum* habet ablativum *ipso*. Et quod ad contextum attinet, haec etiam lectio est magis consentanea intentioni Aristotelis; nam praecipue intendit contra antiquos ostendere materiam non esse maxime substantiam, sed esse minus perfectam caeteris. Unde postea, in text. 8, refert antiquos dicentes materiam esse maxime substantiam; ipse vero docet esse impossibile, et concludit: *propter quod forma et quod ex ambobus substantia videtur esse magis quam materia*. Unde in priori comparatione, cum concludit compositum esse prius ob eamdem rationem, formaliter quidem et immediate solum videtur comparari compositum ad materiam, virtute tamen etiam illud praefert formae, dum sic colligit: forma est prior materia; ergo etiam compositum, eadem (inquam) ratione, scilicet, quia includit ipsam formam; et

consequenter est etiam prius perfectione et nobilitate ipsa forma, cum ad illam ut totum ad partem comparetur.

10. *Non omnis causa nobilior effectu*.— Ad obiectionem autem in principio positam respondetur negando simpliciter maiorem; non enim est necesse omnem causam esse nobiliorem effectu, sed solum in aliqua causa efficienti et finali; non vero in materiali, ut omnes fatentur, neque etiam in formali, fere propter eamdem causam, quia, nimirum, hae causae intrinsecae ita sunt causae ut sint etiam partes, et neutra per se dat effectui totam entitatem aut perfectionem eius, sed constituit illum dando ipsi id quod habet entitatis; ille vero, quia consurgit ex multis, evadit perfectior singulis. Unde addi etiam potest effectum non superare causam secundum id quod ab ea recipit; posse autem superare secundum id quod habet ab alia causa. De quo latius infra, disp. XXVI, sect. 1.

*SECTIO VIII*

*UTRUM FORMA SUBSTANTIALIS SIT VERA CAUSA MATERIAE, ET MATERIA EFFECTUS EIUS*

1. *Rationes utrinque difficultatem inducentes*.— Hic iam non agimus de materia ut informata, de hoc enim dictum est sectione praecedenti, sed de materia quantum ad entitatem seu quantum ad esse eius. Et ratio dubitandi est quia tota entitas materiae supponitur ad eductionem vel introductionem formae; ergo non potest illa entitas causari a forma, maxime cum materia recipiat esse per creationem, ad quam non potest forma cooperari concausando. In contrarium autem est quia non repugnat formam esse causam materiae, cum causae sint sibi invicem causae, II Phys., text. 30, et V Metaph., text. 2. Item, quia si forma non esset causa materiae, materia posset natura esse sine forma; quia si non est causalitas, non est cur sit dependentia.

*Referuntur opiniones*

2. Circa hanc quaestionem variae sunt sententiae, iuxta diversum modum sentiendi de esse materiae. Qui enim existimant materiam ex se nullum habere esse existentiae, dicunt formam proprie esse causam materiae, quia illud est causa rei quod dat esse. Haec opinio esse videtur D. Thom., I, q. 66, a. 1, et de Potentia, q. 4, a. 1, quam tenent omnes thomistae, Capreolus, In II, dist. 13, q. 1; Caietanus, de Ente et essentia, c. 5, sub q. 9; Ferrar., in lib. III cont. Gent., c. 4; Soncin. et Iavell., VIII Metaph., q. 1. Idem secutus est Durandus, In II, dist. 12, q. 2; et Argentin., q. 1. Modus autem explicandi hanc causalitatem formalem iuxta opinionem distinguentem realiter existentiam ab essentia actuali creaturae hic esse debet quod entitas partialis essentiae materiae de se est incapax existentiae donec informetur forma substantiali; ipsa vero forma secundum suam entitatem essentiae per se primo unitur materiae et cum illa componit unam essentiam integram; atque hic est primarius effectus formalis formae. Ex quo ulterius sequitur quod forma communicet esse existentiae quod secum affert per se primo composito et per participationem materiae, sive illud esse manet active a forma seu per resultantiam, sive solum formaliter, quod in hoc solo consistere potest quod tali formae vel rei informatae per illam naturali necessitate debeatur tale esse, etiamsi a sola causa extrinseca conferatur a qua fit forma. Et hanc explicationem indicavit Caietanus, dicto loco, nec videtur posse convenientius exponi in principiis illius sententiae; nam si existentia est entitas distincta a forma, non potest ipsum esse existentiae esse primus effectus formae, sed esse essentiae, quod distinctum est; nam primus effectus formae est essentialis rei, quia forma ut forma est de essentia rei; at vero existentia est extra essentiam iuxta hanc opinionem; non ergo pertinet ad primum effectum formalem.

3. Unde iuxta principia huius sententiae, anima rationalis in Christo homine habet proprium et primarium effectum formalem; illo enim privari non potest si actu informat, et tamen iuxta hanc opinionem non habet propriam existentiam creatam; ergo solum potest forma dare formaliter existentiam secundario, quia, videlicet, ipsa est vel constituit proprium susceptivum existentiae substantialis, vel (quod in idem fere redit) quia essentiae completae per formam intrinsece debetur esse substantiale, et non alteri. Sic autem declarata haec sententia probatur primo quia materia est pura potentia; ergo ex se non habet actum, sed a

forma; ergo cum existentia sit actus quidam, non potest materiae convenire nisi per formam. Secundo, quia existentia est posterior actus, si comparetur ad essentiam; ergo supponit essentialem actum; hic autem actus est forma. Tertio, quia esse substantiale est esse completum ac perfectum; ergo per se non debetur nisi naturae completae et formali; ergo tantum debetur formae vel ratione formae.

4. Addit vero Durandus etiamsi dicatur existentia non distingui in re ab essentia, nihilominus asserendum esse formam esse causam formalem existentiae actualis materiae; nam, licet essentia sit sua existentia, id tamen intelligi debet cum proportione; nam essentia in potentia erit existentia in potentia, et essentia actualis erit existentia actualis; ergo sola forma erit actualis existentia, qua formaliter sit in materia. Atque ex hac opinione utrovis modo explicata sequitur materiam naturaliter pendere a forma in tota sua entitate, ita ut non possit sine illa manere, quia non potest manere sine existentia; sed non habet existentiam nisi a forma et per formam a qua ipsa existentia pendet; ergo. Quo etiam fit ut, mutata forma, mutet materia existentiam, quamvis sub diversis formis et existentiis eadem essentia materiae conservetur. An vero tanta sit haec dependentia ut a Deo suppleri non possit sine forma, dicemus sectione sequenti.

5. Secunda opinio omnino contraria est formam non dare esse materiae neque esse propriam causam eius. Ita tenet Henricus, Quodl. I, q. 14; et in eam sententiam citatur Avicen., lib. VI Metaph.; et eamdem tenet Scotus, In II, dist. 12, q. 2, in fine; et Gregorius ibi, q. 1, a. 2, ad 1 Aureoli, et q. 2, a. 3. Fundamentum est quia materia habet suum proprium esse, quod formaliter a nulla causa recipit, cum sit esse simplex et partiale ac condistinctum ab esse quod dat forma, sed habet illud effective a solo Deo et secundum illud esse supponitur materia formae absolute et simpliciter ordine naturae; ergo nullo modo illud esse causatur a forma, sed completur vel actuatur per formam.

6. *Qui asserant, et quomodo, materiam sine forma esse posse naturaliter*.— Quod si contra hanc sententiam inferas materiam naturaliter posse esse sine forma, quandoquidem forma non est causa eius, quidam respondent concedendo sequelam, quod videtur sensisse Marsil., In II, q. 9, a. 2, dum asseverat in principio creasse Deum materiam rerum generabilium sine ulla forma substantiali, et post aliquod tempus illam formasse. Quod etiam placet Gabrieli, In II, dist. 12, q. 1 et 2; et videtur aliquando placuisse Augustino, Lib. I de Genes. contra Manichaeos, c. 5 et 7, et lib. XII Confess., c. 8. Si autem id Deus fecit in creatione mundi, existimandum est non esse praeter naturas rerum, quia, ut Augustinus annotat in principio expositionis Genesis, Deus tunc non est operatus ut miraculorum opifex, sed ut auctor naturae. Neque ab hac opinione videtur dissentire Henricus supra, dum ait materiam secundum communem cursum naturae non posse expoliari omni forma, quia non fit unius rei corruptio quin sequatur generatio alterius. Si ergo fieri posset corruptio naturaliter sine generatione alterius, quantum est ex parte materiae, naturaliter maneret sine forma. Quod de facto ita accidisse in morte Christi tenet Marsilius, In III, q. 3, a. 1, et q. 13, a. 1, et probabile existimat Henricus, Quodl. I, q. 4, immo et verum quantum ad hoc quod ibi facta est separatio unius formae sine introductione alterius; quod tamen fuisse in Christo singulare et praeternaturale sentit in Quodl. II, q. 2, ad 4. At vero Scotus naturale esse putat in qualibet morte hominis, praesertim violenta, immo et aliorum animantium, ut patet In IV, dist. 11, q. 3. Hi tamen non dicunt in eo casu manere materiam sine forma absolute, sed sine forma specifica et cum forma corporeitatis quam ipsi ponunt. Alii vero distinctione utuntur: dicitur enim naturale, vel secundum particularem vel secundum universalem naturam; aquae enim secundum privatam conditionem non est naturale ascendere; tamen ad replendum vacuum est hoc naturale secundum propensionem universalis naturae. Sic (inquiunt) materiae secundum privatam naturam non repugnat conservari sine forma, si illa privetur; at vero ex debito ordine naturae universalis id fieri non potest, quia si repugnat dari vacuum in locali spatio, multo magis in capacitate et potentia materiae. Alii tandem dicunt etiam secundum particularem conditionem suae naturae non posse materiam esse sine forma, licet forma non sit propria causa eius, nisi omnis conditio necessaria ad existendum causa dicatur. Et hic modus dicendi propinquius videtur ad veritatem accedere.

*Quaestionis resolutio*

7. Dico ergo primo: forma non est propria causa materiae, dans formaliter proprium esse quo materia existit. Probatur quia forma non dat materiae illam partialem entitatem essentialem quam in se habet, ut supra ostensum est, quamque retinet sub omnibus formis; sed illa entitas includit suam particularem[3] existentiam distinctam ab omni existentia proveniente formaliter a forma; ergo. Maior patet, tum quia illa entitas materiae, quoad proprium esse essentiae partiale, est simplex et condistincta a forma; tum etiam quia supponitur ad formam, et invariata manet quoad illud esse, sub quacumque forma; unde etiam auctores primae sententiae aiunt formam constituere cum materia unam essentiam completam, non vero dare suum proprium esse essentiale materiae, quod potius supponit; ergo non potest forma esse formalis causa propria et intrinseca illius esse materiae. Dico autem propria et intrinseca, quia extrinsece per modum termini dici potest hoc esse materiae sumi a forma, quia essentia materiae consistit in aptitudine ad formam, sed hic respectus non est ad formam ut actu informantem, sed aptitudine. Unde eadem specificatio maneret in materia, etiamsi esset sine forma. Minor autem probatur, quia esse reale essentiae, si actuale sit, id est, extra causam suam efficientem, intrinsece est esse existentiae, ut late infra probabitur tractando de esse et essentia; sed materia, ut supponitur formae secundum proprium esse essentiae partialis, habet esse actuale, prout distinguitur ab esse potentiali obiectivo, quia sine huiusmodi esse non posset esse verum ac reale subiectum transmutationis et formae; ergo. Et confirmatur ac declaratur; nam Deus, eadem actione qua creavit ac conservavit materiam sub prima forma, conservat illam sub omnibus formis, quae postea succedunt; ergo illa actio Dei terminatur ad aliquod esse materiae quod manet idem sub omnibus formis; nam creatio et conservatio respondens terminatur ad aliquod esse, et non potest actio permanere eadem nisi terminus sit idem; ergo illud esse non datur formaliter a forma, nam esse quod dat forma variatur variata forma; illud autem esse est esse existentiae, quia est esse Temporale et actuale extra causam efficientem; ergo.

8. Quocirca Durandus non loquitur consequenter dum ait, etiamsi esse non distinguatur ab essentia, materiam habere esse a forma informante. In aequivoco autem laborat cum ait materiam tantum habere essentiam in potentia, et ideo ex se solum habere esse in potentia; nam materia secundum se habet in potentia essentiam formae vel compositi; essentiam autem materiae non habet in potentia, sed in actu, hoc ipso quod creata est; aliud est enim materiam esse essentialiter potentiam, aliud esse tantum essentia in potentia. Primum namque est in universum verum, etiam de materia actu existente, quia in eo nihil aliud significatur quam materiam esse essentialiter subiectum vel potentiam receptivam. Secundum vero falsum est de materia actu creata, etiam prout praeintelligitur formae; nam, licet essentia materiae ex se, id est, remota efficientia, solum sit in potentia, quod commune est omni essentiae creatae, tamen per suam creationem fit essentia in actu, licet partialis et potentialis subiective; ergo ut sic habet suum esse existentiae proportionatum; illud ergo non manat formaliter a forma. Sed de hoc puncto, id est, de existentia materiae, plura inferius.

9. *Materia pendet a forma nec potest sine illa esse naturaliter*.— Dico secundo: nihilominus materia pendet in suo esse aliquo modo a forma, quatenus naturaliter esse non potest sine illa, non solum ex ordine universalis naturae, sed etiam ex debito et indigentia propriae et peculiaris naturae ipsius materiae. Prior pars recepta est frequentius a philosophis et theologis, qui hac ratione dicunt esse mutuam connexionem ac necessariam inter materiam et formam materialem, ut videre licet in auctoribus citatis, et Avicenna, II Metaph., c. 2 et 3; Comment., I Phys., com. 56, et lib. II, com. 13; Themistio, I Phys., digres. ult.; Plotino, Ennead. III, lib. VI, c. 14; Soncin., V Metaph., q. 1. Et probatur ratione, quia entitas materiae esset otiosa in rerum natura si maneret sine forma; nullam enim operationem exercere posset; hoc autem abhorret a natura; ergo est contra ordinem naturae ut materia sit sine forma. Hac ratione utuntur multi; non tamen videtur efficax, quia, licet frustra sit in natura quod non est

[3] particularem, 1960; *alit*. partialem 1605 (ed. J. Bta. Colosino). “La edición de B. Colosino, en vez de ‘particularem’, pone ‘partialem’, con lo que el concepto se precisa algo más.” Cf. BHF, t. II, p. 705.

aptum ad aliquod munus naturae, non est tamen frustra nec simpliciter otiosum quod ex se aptum est ad exercendum aliquod munus ad quod a natura est institutum, quamvis interdum illud non exsequatur. Sic ergo, quamvis materia maneret aliquando sine forma, non esset otiosa in natura, quia de se esset apta ad recipiendam illam, si adesset agens qui illam introduceret, et per accidens contingeret quod illa careret, quia fortasse agens qui disponebat ad illam introducendam, prius abstulit dispositionem necessariam ad alterius conservationem, quam potuerit alteram introducere. Sicut Scotus fieri putat in morte hominis vel alterius animalis; nec propterea manet otiosum cadaver, aut maneret materia, praesertim quia paulatim iterum disponi poterit ut aliam formam recipiat.

10. Unde non videtur etiam efficax ratio quae reddi solet ex continua successione generationis et corruptionis, tum quia non est certum ad omnem corruptionem immediate et in eodem instanti sequi generationem, ut ex dicta opinione Scoti patet; nam, licet natura per se non intendat corruptionem, sed generationem, fieri tamen potest ut res corrumpatur prius quam altera generari possit. Quare quod Aristoteles dixit, nempe: *generatio unius est corruptio alterius*, fortasse non convertitur, vel intelligendum erit per se loquendo, licet ex accidente possit deficere.

11. Alia ratio fieri solet, quia quod non est aptum per se operari sine alio, neque etiam est aptum per se esse sine illo; materia autem natura sua nihil operari potest sine forma; ergo natura sua indiget forma ut existat, nec potest esse sine illa. Sed interrogo an sit sermo de operatione proprie sumpta, quae dicit habitudinem ad principium efficiens; et hoc modo non est ad rem; nam materia nec sub forma nec absque forma potest habere aliquam operationem. Vel operatio sumitur late pro quacumque causalitate; et sic falsa est assumptio; saepe enim indiget una res consortio alterius ad causandum et non ad existendum, ut intellectus agens indiget consortio phantasiae ad abstrahendas species,et tamen manet sine phantasia et non censetur esse otiosus, etiamsi tunc pro eo statu non exerceat suam operationem. Anima etiam rationalis indiget consortio corporis ad exercendam causalitatem formalem, non vero ad existendum, et sic de aliis; sic ergo materia poterit indigere consortio formae ad exhibendam causalitatem materialem, etiamsi ad existendum eam non requirat. Et ratio est quia causalitas dicit relationem vel habitudinem transcendentalem, et ideo postulare potest consortium alterius; res autem a qua est causalitas potest esse magis absoluta, et non actu, sed aptitudine tantum, societatem alterius postulare.

12. Ex quo etiam infirma videtur alia communis ratio, quae maxime a priori esse censetur, nimirum, quod materia est pura potentia, et ideo ab actu formae natura sua pendere debet. Quod enim dicitur pura potentia non excludit actualem entitatem ipsius materiae, sed dicit solum talem esse illam entitatem ut essentialiter sit potentia et ad munus recipiendi et sustentandi formam omnino instituta; non est autem de ratione potentiae, generatim loquendo, ut semper sit sub actu suo; unde ergo ostenditur hoc esse de ratione huius potentiae?; nam, ex eo quod sit potentia substantialis, id colligi non potest, cum inde potius habeatur esse potentiam subsistentem, quamvis partialiter et incomplete, et ideo posse per se existere, etiamsi causalitatem suam actu non exerceat, sicut manet rationalis anima, quia subsistens est, licet actu non informet.

13. *Ratio probans materiam naturaliter sine forma esse non posse*.— Difficile ergo videtur rationem reddere quae convincat hanc naturalem dependentiam materiae a forma, propter quod hoc tempore multis, praesertim in Italia, placet materiam quidem nunquam separari a forma propter necessarium ordinem agentium naturalium, tum inferiorum, tum caelestium, quae semper introducunt unam formam recedente alia, non vero propter intrinsecam dependentiam materiae, quam dicunt non fore in nihilum redigendam si, ablata una forma, altera in illa non succederet, sed naturaliter cum sua entitate et existentia fuisse permansuram. Nihilominus recedendum non est ab antiqua et communi sententia, quam his modis explicare et confirmare possumus. Primo, non est verisimile materiam hanc inferiorem esse magis independentem a forma rei generabilis indefinite sumpta quam sit unaquaeque materia caeli a propria forma, cum sit illa minus perfecta; sed unaquaeque materia caeli

pendet naturaliter a sua forma; ergo. Secundo, non est verisimile materiam hanc magis pendere a formis accidentalibus quam a substantiali, cum per se primo ac principaliter illam respiciat; sed ita pendet materia haec ab accidentali forma ut naturaliter esse non possit sine omni illa, ut est evidens, saltem de quantitate.

14. *Augustinus tandem asseruit materiam nulla duratione reali informem praecessisse*.— Tertio, physica coniectura optima est quod haec materia ad hoc est instituta ut semper sit sub aliqua substantiali forma et ab eis nunquam separetur; ergo signum est talem etiam esse factam ut ex natura sua postulet consortium formae ut esse possit. Antecedens patet inductione, quia materia, a principio in sua creatione, sub formis condita fuit. Neque sententia contraria verisimilis est; nam Scriptura non dicit Deum in principio creasse materiam, sed *caelum et terram*; quas voces non posse de materia exponi supra ostensum est. Et quamvis Augustinus interdum videatur in hoc dubitasse, tamen XII Confess., c. 17 et 29, priorem opinionem reprobat et concludit materiam non tempore, sed natura tantum antecessisse formationem suam; unde XIII Confess., c. 33, ita concludit: *Cum aliud sit caeli et terrae materies, aliud species, materiem quidem de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia, simul tamen utrumque fecisti ut materiam forma nulla morae intercapedine sequeretur*. Idem habet lib. I de Genes. ad litter., c. 19, et lib. IV, c. 22 et sequentibus, et I de Civitate, c. 7. Post illam vero primam creationem nunquam materia caruit omni forma; atque ita sunt ab auctore naturae dispositae causae naturales ut nunquam possit una forma materiam deserere quin introducatur alia. Illud enim axioma Aristot., I de Gener., text. 17: *generatio unius est corruptio alterius*, in universum verum est, nec potest de generatione verum esse quod semper ad eam sequatur corruptio, nisi etiam ad corruptionem unius semper sequatur generatio; nam si aliquid corrumperetur et nulla fieret generatio, postea ex eadem materia posset aliquid generari sine nova corruptione. Cumque verum sit in materia nullam esse formam corporeitatis vel genericam, ut in superioribus ostensum est et inferius etiam ostendemus, necessarium est ut semper formae forma succedat in materia, nisi dicere velimus de facto saepe manere materiam sine forma ulla substantiali cum solis accidentalibus. Quod absurdum et paradoxum esset in philosophia.

15. Est ergo facta haec materia ut perpetuo sit sub forma; ergo verisimile est talem esse factam ut forma indigeat ad existendum. Probatur consequentia, quia non repugnat intelligere materiam primam talem esse ut hanc habeat indigentiam, quod recte probat illa ratio, quia, scilicet, est pura potentia, id est, imperfecta in entitate sua, et incompleta ac potentialis; cum his enim imperfectionibus non pugnat, immo optime quadrat illa indigentia et dependentia. Nec refert quod partialiter sit subsistens; nam subsistentia excludit dependentiam a subiecto, non vero ab actu seu forma. Neque est in hoc comparanda materia cum anima subsistente, quia haec longe est perfectior et actualior et simpliciter immaterialis. Igitur hic modus dependentiae non solum non repugnat, verum etiam est maxime consentaneus entitati materiae et imperfectioni ac muneri eius; ergo verisimilius est talem esse naturam materiae. Denique in rebus physicis, quod semper eodem modo evenit et non aliter, verisimile est esse naturaliter necessarium; sed materiam esse sub aliqua forma, naturaliter semper ita evenit; ergo est ex necessitate naturae et non ex necessitate formae, quia quando una forma perit ex defectu dispositionum, nulla erat necessitas ex parte alterius introducendi novam formam. Neque item tribui potest necessitas soli extrinseco agenti proximo, quia saepe etiam nullum est privatum agens a quo sit talis forma; ergo illa necessitas fundatur in indigentia intrinseca ipsius materiae. Nec satis est dicere hunc effectum esse naturalem ex ordine universi seu ex universali natura, aut necessitatem illam oriri ex causis agentibus universalibus, quae semper sunt paratae ad introducendam aliquam formam, quando particulares deficiunt; nam haec universalis institutio naturae in propria indigentia materiae fundata est; nam quia ad universale bonum pertinebat ut nulla materiae portio unquam deficeret aut in nihilum redigeretur, ideo natura providit ut nunquam posset privari omni forma, sed recedente una, semper succederet alia, quia hoc necessarium erat ut materia posset perpetuo naturaliter conservari. Alioqui cur natura fuisset tam provida in huiusmodi formarum successione, praesertim quando forma quae succedit per se non erat

necessaria ad expellendam aliam, quae ob defectum dispositionis vel organisationis necessariae recedit?

16. Neque est simile quod afferebatur de ascensu aquae ad replendum vacuum; nam universalis natura evitat vacuum propter perfectam unitatem et integritatem universi et propter necessitatem actionis et influentiae, et non propter commodum alicuius privati entis. Quod vero materia esset quasi vacua omni forma, si nihilominus conservari posset et pati ac disponi ad generationem et in suo genere ad illam concurrere, nullum esset incommodum naturae universali. Igitur universalis ratio nulla est alia nisi materiae conservatio. Fateor totum hunc discursum supponere de facto nunquam manere materiam sine substantiali forma, et inde colligere hoc provenire ex indigentia materiae, quam collectionem existimo satis esse probatam; antecedens autem dubito an satis demonstratum sit; nam substantialem formam non experimur nisi ex effectibus vel accidentibus; saepe autem nullus est effectus qui evidenter ostendat introductionem novae formae post recessum prioris, ut in morte hominis; et ideo Scotus et alii negant introduci novam formam, quamquam, ne fateantur manere materiam sine forma, ponant formam corporeitatis vel mixtionis, qua seclusa, nos non alia ratione convincimus in omni morte vel corruptione introduci novam formam nisi quia alias materia maneret sine forma; et ita videmur in his probationibus circulum committere. Sed, licet verum sit ex effectibus id non evidenter demonstrari, nihilominus adeo est illud axioma consentaneum naturis rerum et fini et usui ac imperfectioni materiae, ut unanimi omnium fere antiquorum et recentiorum philosophorum consensu tamquam certum, et indubitatum sit receptum, quod satis est ad philosophicam rationem fundandam.

*Qualis sit dependentia materiae a forma*

17. *Duplex dependentiae modus*.— *Argumenta probantia materiam a forma solum ut conditione dependere*.— Sed explicandum superest qualis sit haec dependentia; duobus enim modis potest intelligi, scilicet, vel tamquam a propria causa vel tamquam a conditione ita necessaria ut absque illa non debeatur esse tali rei, quos duos modos dependentiae explicui late, in I tomo III partis, disp. VIII, sect. 1, et illos videtur significare Fonseca, V Metaph., c. 2, q. 3, sect. 1, dum ait intelligi posse materiam pendere a forma vel tamquam a vera causa vel tamquam a quodam concomitante; et sect. 3 videtur de eisdem facere mentionem, dum ait accidentia conservare substantiam, non a priori, sed a posteriori. Dubitari ergo potest quo ex his modis pendeat materia a forma. Et quidem, quod sit tantum dependentia a posteriori et a conditione necessaria, videtur probabiliter persuaderi. Primo, quia hic modus dependentiae possibilis est; nam forma substantialis vel eius unio ad materiam, atque adeo totum compositum, pendet hoc modo ab aliquibus formis accidentalibus tamquam a dispositionibus necessariis via conservationis, ut aiunt, non quia sint propriae et directae causae talis conservationis, sed quia sunt dispositiones ita connaturales ut sint etiam necessariae; ergo maiori ratione potest materia habere talem dependentiam a forma tamquam a necessaria dispositione et primaria. Item hoc modo pendet materia a quantitate; ergo et potest pendere a forma. Deinde hic modus est sufficiens ad salvandum omnia quae dicuntur de dependentia materiae a forma, et omnes rationes factae non amplius probant. Est etiam modus facilis et clarus; nam iuxta illum facile conciliantur duae conclusiones positae. Recte etiam intelligitur quomodo vicissim pendeat forma a materia et materia a forma: una enim dicetur pendere a priori et altera a posteriori; una tamquam a vera causa, et alia ut a conditione concomitante.

18. At vero iuxta alium modum difficile intelligitur haec mutua dependentia; nam cum materia simpliciter supponatur formae ut haec ex illius potentia educi possit, vix intelligitur quomodo a priori possit materia a forma dependere. Et explicatur amplius augeturque difficultas ex eo quod materia fit per veram creationem et per eamdem actionem permanentem conservatur; ergo non pendet in suo fieri a forma ut a vera causa, quia ad creationem nulla causa creata concurrere potest naturaliter. Respondent aliqui hoc esse verum de causa efficienti, non vero de aliis generibus causarum; nam creatura non potest esse causa efficiens creationis; potest tamen esse causa finalis, ut per se constat; et eadem ratione potest esse causa formalis, immo et materialis; nam cum creatur totum, partes

concurrunt ad esse et fieri illius in genere causae materialis. Sed, omissa causa finali, cuius causalitas habet peculiarem rationem, propterea quod non est per realem ac propriam motionem distinctam ab actione causae efficientis, et ideo non praerequirit reale esse in re quae talem causalitatem exercet, de causa materiali videtur concursus eius directe repugnare cum creatione, ut est propria et vera creatio; quod facile patet ex dictis supra de eductione formae de potentia materiae, et latius ostendetur infra in propria disputatione de creatione. Loquor autem de creatione, ut proprie creatio est; nam sub ratione concreationis potest habere dependentiam a causa materiali, ut supra declaratum est tractando de materia caeli, quia concreatio ut sic ordine naturae supponit creationem, et ideo potest habere aliquam dependentiam. Eadem ergo ratione creatio ut sic non potest habere dependentiam a causa formali, quia causa formalis supponit materialem, licet concreatio possit habere dependentiam a forma, ut supra loco citato declaratum est. At vero materia rerum generabilium vere ac proprie creatur, et non concreatur proprie, id est, non producitur per unam et eamdem actionem qua creatur totum; ergo ad creationem eius non potest forma concurrere ut vera causa.

19. Quod in hunc modum declaratur et confirmatur ex dictis; nam creatio huius materiae rerum generabilium et inductio formae sunt actiones distinctae, tam nunc in materiae conservatione et rerum generatione, quam in prima rerum sublunarium productione; sed actio inductiva formae non potest esse vera causa actionis creativae materiae; ergo multo minus forma quae per illam actionem inducitur potest esse vera causa creationis materiae. Minor patet, tum quia inductio formae supponit omnino creationem materiae seu materiam creatam, nec intelligi potest quod formae inductio aut unio supponatur in aliquo genere causae ad creationem materiae, quia inductio formae ut sic dicit habitudinem transcendentalem ad materiam iam creatam; unde, sicut relatio non potest praesupponi ad terminum in aliquo genere causae, ita neque inductio formae ad creationem materiae. Tum etiam quia alias penderet per se creatio vel conservatio materiae ab eductione formae; ergo et ab agente educente formam; atque ita agentia naturalia ut verae causae effectivae conservarent materiam. Unde etiam fieret ut quoties forma mutatur in materia, mutaretur actio qua materia conservatur a Deo, quia mutata dependentia actionis, mutatur actio, eo quod ipsa sit essentialiter dependentia, ut infra declarabimus. Consequens autem est falsum, quia materia, ut est primum subiectum generationis, est quid ingenerabile et incorruptibile, quia supponitur generationi et corruptioni; ergo eadem ratione est quid immutabile quoad actionem per quam fit et conservatur, quia supponitur facta et conservata; alioqui per quamcumque generationem entis naturalis concrearetur materia, vel ita se haberet ac si concrearetur, quia per novam actionem terminatam ad totum ipsa inciperet conservari, quod plane repugnat actioni agentis naturalis; alias eadem ratione dici posset per talem actionem comproduci semper novam materiam. Igitur creatio vel conservatio materiae non pendet ab eductione formae tamquam a propria causa vel actione per se; ergo multo minus potest pendere a forma tamquam a vera causa, cum forma sit in omni genere causae posterior actione per quam educitur de potentia materiae; ergo de primo ad ultimum, nec materia ipsa potest pendere a forma ut a causa per se, sed solum ut a causa vel conditione concomitante et bene disponente ac actuante ipsam materiam.

20. *Rationes suadentes materiam a forma pendere ut a propria causa*.— Non desunt tamen argumenta quibus suaderi videatur materiam posse dependere a forma ut a propria causa quae per informationem suam continet illam in esse. Et praesertim quia forma substantialis materialis pendet a materia ut a propria et per se causa in suo genere; ergo et e contrario materia pendet a forma tamquam a vera causa, quia, licet non sustentet illam ut subiectum, potest ut actus continere illam. Nam, sicut actus effectivus tenet effectum in esse per suam causalitatem, ita actus informativus potest modo sibi proportionato continere suum subiectum in esse; ergo ita comparatur forma substantialis ad materiam. Probatur consequentia primo, quia forma materialis est perfectior et actualior quam materia; ergo magis per se pendet materia a forma quam forma a materia. Secundo, quia non repugnat huiusmodi mutuus nexus inter materiam et formam tamquam inter causas quae mutuo et vicissim sunt sibi per se causae. Quod patet tum illa generali ratione quod in diversis

generibus causarum non repugnat mutua prioritas, tum etiam quia in caelo videtur esse haec mutua connexio inter materiam et formam; nam et in fieri et in esse mutuo et per se pendent, ut supra dictum est, ita ut concreatio unius per se pendeat a concreatione alterius, et e converso. Ex quo exemplo potest sumi tertia ratio, quia materia caeli pendet a sua determinata forma, ut a causa per se; ergo et materia horum inferiorum pendebit eodem modo a forma generabili, licet indefinita. Patet consequentia, quia perfectior est materia caeli; ergo si illa pendet, multo magis alia.

21. *Iudicium de quaestione et de rationibus utrinque propositis*.— Sunt quidem hae rationes probabiles, et ita potest utraque pars ex dictis probabiliter sustineri; mihi tamen (ut verum fatear) prior videtur intelligibilior et facilior, et si attente ponderentur rationes factae, facilius possunt posteriores dissolvi. Quod munus lectori relinquo, quia res facilis videtur, quia infra, explicando quomodo causae sint sibi invicem causae, radicitus declarandum est quaenam prioritas mutua possit inter aliqua duo intercedere, et quae non possit, ex cuius intelligentia maxime pendet praesens resolutio.

## *SECTIO IX*

## *UTRUM TANTA SIT DEPENDENTIA MATERIAE A FORMA UT SINE ILLA NEC PER DIVINAM POTENTIAM CONSERVARI POSSIT, ET E CONVERSO*

1. *Rationalis forma naturaliter, caeterae supernaturaliter separatae possunt conservari*.— Quoad dependentiam formae a materia, solum potest dubitari de materiali forma; nam de immateriali constat non solum virtute divina, sed etiam naturaliter posse manere sine materia. De reliquis autem formis Aristoteles et philosophi fortasse negarent posse ullo modo subsistere separatas a materia, quia existimarent dependentiam et inhaerentiam actualem in materia esse illis essentialem. Catholici autem, qui credimus Deum conservare accidens sine subiecto, dubitare non possumus (licet moderni quidam dubitent) quin possit etiam Deus substantialem formam materialem sine materia conservare, quia maior est dependentia accidentis a subiecto, quatenus accidens minus habet entitatis et actualitatis quam forma substantialis. Unde omnes Doctores statim citandi in hoc conveniunt de forma substantiali, quamvis de materia dissentiant.

### *Tractatur prior opinio de materia*

2. De materia igitur est prima sententia negans posse Deum conservare materiam sine forma substantiali. Tenet D. Thomas, locis citatis sectione praecedenti, cum aliis sectatoribus eius ibi citatis, et praeterea Quodl. III, a. 1, indicatque eam Magister, in II, dist. 12, c. 5, ubi solum dicit materiam in principio creationis non fuisse prius carentem omni forma, quia tale aliquid corporeum existere non potest quod nullam habeat formam; non tamen declarat an loquatur de potentia absoluta, vel iuxta naturas rerum. Et eodem modo videtur loqui Hugo Victorinus, I de Sacrament., part. I, c. 4. Apertius loquitur Bonavent., dicta dist. 12, a. 1, q. 1; Hervaeus, Quodl. VI, q. 1; Aegid., in principio sui Hexameron, c. 1 et 2; Iandun., I Phys., q. 26; Zimar., Theorem. 15. Fundamentum praecipuum huius sententiae est quod materia formaliter ex se nullam habet existentiam, sed eam recipit formaliter a forma. Deus autem non potest dare effectum formalem sine causa formali, neque etiam potest conservare materiam sine existentia; ergo non potest conservare materiam sine forma. Nec refert quod esse existentiae, iuxta hanc sententiam, non sit primarius effectus formalis formae, tum quia, licet ob hanc causam possit per divinam potentiam manere effectus primarius sine hoc secundario, tamen e converso non potest secundarius dari sine primario, nam ab eo essentialiter pendet; tum etiam quia ad primarium effectum formae pertinet esse vel constituere proximum susceptivum existentiae, qui effectus nunquam separatur ab ipsa; nam etiam in Christi humanitate illum habet; non potest autem Deus constituere actum extra proprium susceptivum. Secundo ex Commentatore, quia materia est pura potentia; quidquid autem existit, est in actu; ergo repugnat materiam existere sine actu, quia alias simul esset in actu et sine actu; actus autem materiae est forma; ergo repugnat esse sine forma. Tertio, etiamsi materia habeat aliqualem existentiam partialem, habet illam

pendentem a forma in genere causae formalis; sed non potest Deus per se supplere effectum causae formalis; ergo. Quarto, fieri solet haec ratio, quia si materia servaretur sine forma, esset in rerum natura aliquod individuum sub genere substantiae et non sub aliqua specie; nam materia esset in genere corporis, verbi gratia; et non pertineret ad aliquam eius speciem. Quinto, omne esse accidentale est a forma accidentali, et ideo nihil habere potest tale esse sine illa; ergo omne esse substantiale est a forma substantiali, et non potest esse sine illa; materia autem habet aliquod substantiale esse; ergo illud non potest esse sine substantiali forma. Aliae rationes solent multiplicari, sed non ingerunt novam difficultatem, et ideo inutile censeo in eis immorari.

*Posterior sententia tractatur et priori praefertur*

3. Contraria sententia est satis communis. Eam tenet Henricus, Quodl. I, q. 10; Scotus, In I, dist. 12, q. 2; et ibi Lychletus, Maironis, Bassolis, et alii scotistae; Richardus, q. 4; Gregorius, q. 1; Gabriel, q. 1; Marsilius, In II, q. 8; et in eam inclinat Soto, I Phys., q. 6; et mihi videtur haec sententia omnino vera, quia non solum non invenio claram implicationem contradictionis, verum etiam nec rationem satis verisimilem quae eam persuadeat. Et imprimis, quamvis teneremus existentiam esse rem distinctam ab essentia, nulla reddi posset sufficiens ratio cur non posset Deus illum actum ponere in sola materia; quia, licet secundum connaturalem ordinem ille actus recipiendus esset in tota natura vel integro supposito, tamen per divinam potentiam posset constitui in una parte, sicut existentia accidentalis naturaliter recipi non potest nisi in composito accidentali seu in supposito substantiali media accidentali forma, et tamen Deus facere potest ut maneat in solo accidente separato, et maiori ratione posset conservare esse substantiale in sola forma materiali substantiali; ergo etiam posset in sola essentia materiae ponere actum existentiae, quia, licet materia sit potentia ad formam, tamen revera est quaedam partialis essentia substantialis; quatenus ergo aliqua essentia est, poterit per existentiam actuari; nam existentia est actus essentiae. Neque est ulla ratio quae probet illum ordinem inter formam substantialem et actum existentiae, aut dependentiam illius existentiae a forma, esse adeo essentialem ut a Deo immutari aut suppleri non possit; nam forma non est ita causa existentiae ut intrinsece componat illam, cum supponantur esse entitates simplices condistinctae; causalitas autem formae, quae non est per intrinsecam compositionem, sed vel per dimanationem aut aliam similem rationem, potest a Deo suppleri, ut statim ostendam.

4. Nec vero dici potest materiam existentem per actum existentiae realiter distinctum iam habere formam, quia omnis actus est forma. Hoc enim axioma falsum est iuxta illam sententiam, etiam de actu actuante; auctores enim illius sententiae ponunt in uno supposito substantiali formam substantialem et actum existentiae realiter distinctum, et non admittunt duas formas substantiales; ergo existentia substantialis non est forma substantialis. Et ideo etiam dicunt existentiam creatae humanitatis posse suppleri per increatam existentiam Verbi, quia existentia non est forma; ergo si materia conservaretur cum actu existentiae realiter distincto a sua essentia absque alia forma, vere conservaretur sine forma, et ita esset in actu sine actu informante, non vero sine actu terminante. Adde nonnullos ex auctoribus qui ponunt existentiam realiter distinctam ab essentia concedere posse Deum conservare essentiam in rerum natura et extra causas sine existentia. In quo, licet apertam dicant contradictionem, tamen, supposito falso principio, consequenter loqui videntur. Cur ergo non admittent etiam essentiam materiae conservari posse in rerum natura et extra causas sine actu existentiae distincto? Nam ut res sit in rerum natura et extra causas, sufficit secundum ipsos esse essentiae; materia autem ex se et per se ipsam formaliter aliquod esse essentiae habet, quamvis partiale ac diminutum.

5. *Germana a priorique conclusionis probatio*.— Sed haec veluti ad hominem ex alienis principiis procedunt; ex propriis autem ratio a priori huius sententiae est quia materia, sicut habet suam partialem entitatem essentiae, ita et existentiae; existentia enim substantiae ita composita est sicut essentia substantiae, et ideo sine ulla implicatione vel repugnantia potest Deus sicut formam sine materia, ita et materiam sine forma conservare. Quia, licet proprium susceptivum (ut ita loquamur) completae et integrae existentiae sit completa natura

vel substantiale suppositum, tamen pars naturae seu natura partialis capax est partialis existentiae sibi proportionatae, in qua potest per divinam potentiam partialiter sola subsistere, sicut quantitas in sua proportionata existentia per divinam potentiam separata existat. Nulla enim maior repugnantia afferri potest in existentia partiali materiae, quam in partiali existentia formae vel accidentali existentia quantitatis. Namque haec existentia partialis materiae non manat intrinsece a forma, sed solum naturaliter pendet ab illa, vel tamquam a conditione seu actuali dispositione naturaliter debita, vel ad summum ut a causa informante et per informationem suam per se concurrente et iuvante ad esse materiae; hic autem modus dependentiae facile potest a Deo suppleri sine repugnantia. Et de priori quidem, qui nobis probabilior visus est, res est clara, quia ille modus dependentiae est valde extrinsecus et a posteriori, et solum consistit in hoc, quod rei in tali statu constitutae vel carenti tali dispositione vel actu non debetur naturaliter esse. Potest autem Deus conferre esse, etiam praeter naturale debitum seu praeter ordinem naturalem, et ita potest conservare formam in materia sine naturali dispositione et animam in corpore sine naturali organisatione.

6. De posteriori autem modo dependentiae idem probatur, quia, licet secundum illum modum forma concurrat aliquo modo ut causa ad esse materiae, non tamen ut causa intrinsece componens illud esse aut proprium subiectum eius, sed ut causa tantum informans vel actuans et ut extrinseca, in hoc sensu quod est condistincta omnino ipsi effectui; huiusmodi autem causam Deus supplere potest efficiendo, etiamsi ipsa causet informando. Quod a contrario probatur de causa materiali, quae est intrinseca sicut formalis, et ideo non potest Deus illam supplere respectu illius effectus quem intrinsece componit. Potest tamen supplere causalitatem eius respectu alterius componentis seu formae, etiamsi materia in suo genere influat per se et ut vera causa in esse ipsius formae. Et hoc modo supplet Deus dependentiam accidentis a subiecto, etiamsi sit in genere causae materialis; et eodem modo potest supplere dependentiam substantialis formae corporeae a materia; quia, licet vere sit causalitas per se et materialis, tamen non est omnino intrinseca, id est, talis ut ipsa materia sit intrinseca pars talis effectus, sed est circa rem omnino condistinctam, sustentando illam. Hanc autem causalitatem quam materia praebet sustentando potest Deus supplere efficiendo; ergo eadem ratione poterit supplere causalitatem formae, non in compositum, sed in materiam, neque informando, sed efficiendo. Patet consequentia, quia aeque cessat tota ratio repugnantiae, quae in hoc consistit quod Deus non potest uniri per modum formae ad materiam, quod necessarium esset ad conservandum vel componendum compositum, non vero ad conservandam unam partem compositi sine alia. In quo par est ratio de materia ac de forma, quia non est de ratione partis essentialis actu existentis quod sit forma vel habeat formam, quia neque essentia talis partis hoc postulat, cum solum consistat in aptitudine ad formam, non vero in actuali unione, neque etiam existentia, cum solum extrinsece pendeat a forma modo iam explicato. Et tunc materia esset quidem in actu entitativo seu existentiae et in potentia ad actum formalem, in quo nulla est repugnantia aut difficultas, cum potentia receptiva necessario includat aliquam entitatem et actualitatem entitativam, ut supra declaratum est.

7. *Deus sine forma materiam conservaturus quid novi debeat praestare*.— Atque hinc obiter intelligitur per quam actionem possit Deus materiam sine forma conservare, aut quid novi oporteat ipsum exhibere ut illam conservet. Diversimode enim loquendum est iuxta diversos modos dependentiae materiae a forma supra tactos. Si enim materia solum pendet a forma ut ab actu seu dispositione consequenti, nulla nova actio necessaria est ex parte Dei ad conservandam materiam sine forma; sed si a principio crearet materiam solam sine forma, actio eadem omnino esset cum illa qua Deus actu creavit materiam sub formis, solumque constitisset miraculum vel praeternaturale opus in hoc quod Deus faceret illam actionem sine concomitantia alterius per quam induceret formam in talem materiam. Sicut si Deus crearet substantiam animae sine potentia intellectiva, per eamdem actionis illam crearet, et miraculum solum esset impedire naturalem dimanationem facultatis ab essentia; immo de facto anima Christi eadem actione creata est sine propria subsistentia ac aliae

creantur, solumque in illa impedita fuit actio vel dimanatio propriae subsistentiae. Et proportionali modo loquendum est, si Deus velit conservare sine forma materiam quae iam est sub illa; nam expellendo unam formam et non concurrendo ad introductionem alterius solum esset necessarium Deum continuare illammet actionem qua nunc conservat materiam, quia per illam sufficienter conservaret entitatem materiae in rerum natura et extra causas; miraculumque solum in eo esset positum quod Deus continuaret actionem conservativam materiae in eo statu in quo illi non deberetur esse et sine illis conditionibus quae ad naturalem modum existendi necessariae sunt.

8. At vero si materia pendet a forma ut a propria causa per se influente ad esse illius, sic necessarium erit Deum alio genere efficientiae et actionis supplere illam causalitatem formae; quia si illa causalitas formae per se necessaria est praeter communem influxum quo Deus nunc conservat materiam, non poterit cum hoc solo communi influxu Dei materia conservari sine causalitate formae nisi huius necessitas alio genere causalitatis suppleatur. Sicut, quando Deus conservat quantitatem sine materiali concursu subiecti, necessarium est ut speciali efficientia suppleat concursum illum subiecti, sine quo quantitas naturaliter esse non posset, et ideo dicimus longe diversa ratione conservare Deum quantitatem sine subiecto ab ea qua illam in subiecto conservabat, ut late tractavi III tomo III partis. Sic igitur necessarium esset in praesenti, servata proportione. Quaenam vero esset illa nova actio quam Deus adhiberet ad materiam conservandam sine forma, non est facile ad explicandum; dicimus autem illam fore actionem per modum absolutae et omnino independentis creationis, distinguique ab actione qua nunc conservatur materia, quia haec est per modum concreationis; quod quidem in materia caelesti, si conservanda esset sine forma, facile intelligi potest; in hac vero materia generabilium difficilius id est, nam actio per quam fit revera est absoluta creatio, ut in superioribus est declaratum, et ideo prior dicendi modus quoad hanc materiam semper videtur verisimilior.

*Satisfit rationibus prioris sententiae*

9. Rationes contrariae sententiae omnes fere solutae sunt ex dictis. Ad primam enim iam responsum est et falsum sumere, nempe omnem existentiam esse a forma ut ab intrinseca et quasi essentiali causa (est enim id verum de existentia completa substantiali, non vero de quacumque partiali), et illationem non esse necessariam, quia, esto intercederet ille naturalis ordo inter formam et existentiam, non inde fieret esse immutabilem per omnipotentiam Dei. Ad secundum respondent Scotus et alii committi aequivocationem in nomine potentiae et actus; nam materia dicitur pura potentia subiectiva, quae si in sua puritate sit, carebit actu informante; cum vero dicitur omnem rem existentem esse in actu, intelligitur de actu entitativo, quod non opponitur potentiae subiectivae, sed obiectivae tantum. Quam responsionem Iavellus et alii putant satis excludi impugnando potentiam obiectivam, sed non est quod haereamus in voce potentiae obiectivae, de qua fortasse est controversia de nomine, ut etiam Iavellus fatetur et inferius tractandum est; sed attendere debemus ad rem significatam, quae est res in esse possibili, sive dicatur possibilis a potentia obiectiva sive a potentia activa agentis; nunc enim nil refert. Rei autem possibili sic sumptae opponitur res in actu, et hoc sensu est verum rem existentem debere esse in actu; hoc autem esse in actu non opponitur purae potentiae subiectivae. Quod si in hoc sensu materia iam creata dicatur pura potentia, falsa est assumptio. Ad tertium satis iam declaratum est quomodo possit Deus supplere dependentiam naturalem quam habet materia in sua existentia partiali a forma.

10. *Materia substantialem propriam stabilemque speciem sibi adscribit*.—
Ad quartum respondetur non magis procedere argumentum illud in materia sine forma quam in materia formata. Materia enim non habet aliam speciem substantialem et essentialem sibi, propterea quod sit sub forma vel sub hac vel illa forma. Dico autem substantialem et essentialem, quia agimus de materia prima, non de materia proxima, quae includit formas seu dispositiones accidentales, ratione quarum dicitur interdum specie differre; sed illa revera non est diversitas in substantiali differentia materiae, sed in accidentibus. Forma igitur non dat differentiam specificam materiae, sed composito. Unde, sicut eadem materia numero

manet sub diversis formis, ita et eadem specie; si ergo materia sine forma existens esset individuum generis sub nulla specie contentum, etiam nunc est; vel certe, si nunc non est tale individuum (ut revera non est), neque etiam tunc esset. Unde simpliciter neganda est sequela, quia ad rationem materiae non spectat ut sit in specie hominis vel equi, sed in specie materiae; illa autem materia esset in aliqua specie ultima materiae, vel caelestis vel elementaris. Quare aliud est dicere in eo casu dari materiam quae in sua latitudine essentiae incompletae sub nulla specie ultima sibi proportionata contineretur, et falsum est hoc sequi; aliud vero est dicere dari materiam ex qua nullum individuum completum sub aliqua specie ultima substantiae completae contentum actu componeretur, et hoc fatemur sequi; nullum autem est inconveniens, sed est ipsamet assertio nostra, quia non est de essentia materiae quod actu componat tale individuum, sed quod apta sit illud componere. Ad quintum respondetur esse discrimen inter substantiam et accidens, quod accidens et forma accidentalis in tota sua latitudine sumpta convertuntur, quia omne accidens aliquo modo inhaeret, et ideo repugnat dari esse accidentale sine forma accidentali; substantia vero et forma substantialis non convertuntur; datur enim subiectum substantiale quod nullo modo est forma, et ideo dividitur substantia in materiam, formam et compositum. Quapropter non est necesse ut omne esse substantiale sit intrinsece et formaliter forma; nam in latitudine substantialis esse datur esse simpliciter et completum, et hoc est a forma proprie ac per se in suo genere; datur etiam esse partiale, quod non semper est a forma, nisi late loquendo, quatenus ab illa aliquo modo pendet, quam dependentiam Deus supplere potest, ut ostensum est.

## *SECTIO X*

## *UTRUM UNIUS SUBSTANTIAE UNA TANTUM DETUR CAUSA FORMALIS*

1. *Plures partiales formae homogeneae in eodem composito inveniuntur*.— Explicata causalitate formae, necessarium est unitatem vel multitudinem in eodem effectu vel composito exponere, ut hinc simul constet an intra hoc genus causae sit aliqua subordinatio vel dependentia causarum respectu eiusdem effectus. Duobus autem modis intelligi potest in una substantia esse plures formas, scilicet, vel in diversis partibus materiae vel in eadem materia. De priori modo hic non disputamus, quia, etsi in diversis partibus materiae dentur diversae formae, tamen unaquaeque earum unum tantum habet effectum proprium in sua materia. Quod si ex omnibus illis substantiis una componitur tamquam ex partibus integrantibus ipsam, necesse est ut formae illae non sint totales, sed partiales, unam totalem formam integrantes. Atque ita ea multitudo partium non impediet quominus unius effectus totalis una detur adaequata causa formalis. Et quidem si huiusmodi partiales formae sint eiusdem rationis, non est dubium quin possint in materialibus formis pro diversitate partium materiae multiplicari et uniri ad componendam unam substantiam. An vero formae diversarum rationum possint esse partiales et inter se uniri ad componendam unam substantiam, et quanta possit esse illa unio, an, scilicet, per veram continuationem mathematicam vel per minorem aliquam coniunctionem physicam, haec omnia non pertinent ad praesentem materiam, sed ad scientiam de anima; nam illa omnia potissimum quaeri solent propter partes heterogeneas viventium, et maxime propter sanguinem et alios humores existentes in animali, de quibus nonnulla attigi I tomo III partis, disp. XV, sect. 5, 6 et 7.

2. Quaestio ergo praesens versatur de causa formali respectu eiusdem omnino materiae, an, scilicet, in una materia tantum esse possit una forma substantialis, in qua quaestione plures involvuntur pro varietate opinionum quae breviter attingendae sunt. Tribus autem modis excogitari possunt plures formae in eadem materia; uno modo, cum subordinatione per se et essentiali, per modum formae superioris et inferioris, quarum prior, licet respectu materiae sit actus, respectu tamen ulterioris formae comparetur per modum potentiae. Secundo, cum subordinatione non quidem essentiali, sed per modum dispositionis ad formam principaliter intentam. Tertio, mere per accidens et sine ullo ordine inter se. Et ad haec tria capita revocantur omnes opiniones quae in hac materia sunt vel esse possunt; et in singulis est sententiarum varietas.

3. Nam ad primum caput spectat opinio supra tractata, disp. XIII, de forma corporeitatis per se necessaria ad introductionem ultimarum formarum, quam hic iterum referre et impugnare non oportebit.

*Reiicitur opinio de multiplicatione formarum iuxta praedicata essentialia*

4. Ibidem est etiam tractata et cursim impugnata opinio quae affirmat formas substantiales realiter multiplicari in composito iuxta multitudinem praedicatorum essentialium, quae refertur ex Avicebron, in lib. Fontis vitae; eamque tenuit Ioannes de Gandavo, II Metaph., q. 10, et I de Anima,q. 8; et Paulus Venet., VII Metaph. Verumtamen haec sententia antiquata iam est et ut omnino improbabilis reiecta; nam praeter rationes generales quas inferius efficiemus pro unitate formae, haec ratio convincit falsitatis illam opinionem, quod multiplicet formas sine fundamento et necessitate, nam in superioribus ostensum est universalia non distingui realiter a particularibus, nec genera ab speciebus; ergo, cum haec praedicata multiplicentur solum per abstractionem et praecisionem nostri intellectus, vanum est existimare illis correspondere in re formas realiter distinctas. Alioqui etiam in substantiis separatis et in formis accidentalibus multiplicandae essent formae realiter distinctae et inter se subordinatae iuxta multitudinem praedicatorum essentialium quae in his etiam rebus nostra ratio distinguit. Immo etiam materias oporteret realiter distingui et multiplicari in substantiis materialibus, quia ab illis sumi possunt praedicata diversa essentialia, ut esse rem materialem, quod commune est caelestibus et inferioribus corporibus, et esse rem generabilem aut aliquid simile. Denique haec praedicata quam plurima abstrahi possunt, iuxta varias rerum convenientias; ergo impossibile est iuxta numerum eorum multiplicari realiter formas. Omitto alias rationes, quas supra, disp. XIII, sect. 3, fecimus.

5. *Partibus definitionis ut respondeant partes rei.— Praedicata essentialia et formae substantiales quem ordinem illationis servent.*— Sed obiicies Aristotelem, VII Metaph., c. 10, dicentem partibus definitionis correspondere partes rei; partes autem definitionis sunt genus et differentia; ergo his partibus correspondent in definito partes realiter diversae, quae non sunt sola materia et forma, nam animal, verbi gratia, non significat solam materiam, sed compositum ex materia et anima sensitiva. Item idem Aristoteles, II Metaph., c. 2, probat non dari processum in infinitum in causis formalibus, quia non datur in praedicatis quidditativis. Item, quia proprietates quae secundum haec praedicata conveniunt sunt distinctae in re ipsa, ut, verbi gratia, sentire, intelligere, moveri, etc.; ergo et formae a quibus ea praedicata sumuntur. Ad primum testimonium Aristotelis respondetur, vel non loqui generaliter de omni definitione, sed de illa quae datur modo physico et per partes physicas, ut cum dicitur horno esse ens compositum ex anima et corpore; vel, si universaliter loquatur, non oportere intelligi de partibus in re distinctis, sed re vel ratione, ut sumitur ex D. Thoma ibi et clarius ex Alexand. Alensi, qui vocat partes reales aut rationis. Ad aliud vero testimonium respondetur ex negatione plurium vel infinitorum praedicatorum essentialium recte colligi negationem plurium vel infinitarum formarum, quia a qualibet forma ut minimum sumi potest unum praedicatum quidditativum; si ergo non sunt infinita praedicata quidditativa, nec infinitae formae esse poterunt. E contrario vero ex multitudine praedicatorum quidditativorum non potest colligi multitudo formarum, quia ab eadem forma possunt plura praedicata sumi iuxta varias convenientias ac differentias quas habet cum aliis formis. Quare non est simile quod ex Aristotele adducitur.

6. Hinc autem optime infertur quod, sicut ex unitate formae non colligitur praedicata quidditativa non esse plura, sed unum tantum, ita etiam non colligitur illa non esse infinita aut non posse esse in eis processum in infinitum, quia stante unitate formae possunt haec praedicata multiplicari; an vero aliunde sit terminus in his praedicatis, et quomodo id probaverit Aristoteles, dicemus sectione sequenti. Ad ultimum respondetur negando consequentiam, nam sicut ab eadem causa plures effectus, ita ab eadem forma diversae facultates oriri possunt, ut experientia notum est, nam interdum conveniunt plures facultates eidem rei, non solum secundum eamdem formam physicam, sed etiam secundum eamdem differentiam specificam, ut homini intellectus, voluntas, risibilitas; aliquando vero oriuntur hae facultates ab eadem forma secundum varios gradus eius, qui a nobis saepe distinguuntur

per ordinem ad ipsas facultates vel actiones, quamvis in re gradus ipsi non sint distincti in substantialibus formis, de qua re satis dictum est tractando de universalibus.

*Opinio Scoti de forma corporeitatis reiicitur*

7. Tertio, ad hoc caput spectat opinio Scoti et Henrici supra tacta, disp. XIII, qui ponunt etiam formam corporeitatis aut mixti ut per se necessariam inter materiam et formas quasdam substantiales, quamvis non eodem modo; Scotus enim putat intercedere inter materiam et omnem animam, non vero inter materiam et formas inanimatorum; Henricus vero solum in homine illam formam requirit. Fundamentum Scoti, si a priori explicetur, fuisse videtur quia anima est forma transcendens communem gradum corporis et requirit in materia dispositionem et varietatem quamdam organorum, quam aliae formae non requirunt; ergo anima ut sic non dat esse corporis sed praesupponit illud per aliam formam, ratione cuius supponitur materia capax organisationis et dispositionis necessariae ad animam; in rebus autem inanimatis cessat haec necessitas. Et confirmari hoc potest ex communi modo loquendi; dicimus enim vivens constare corpore et anima, non tamen dicimus aquam vel aerem constare ex corpore et tali forma, sed ex materia et tali forma; ergo signum est corpus, quod in viventibus dicitur esse altera pars compositi, praeter materiam includere quamdam substantialem formam intermediam inter materiam et animam. De quo corpore optime intelligitur definitio illa animae: est actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis. Nam cum illud corpus quod condistinguitur ab anima sit pars physica, non includit animam ipsam, etiam ut dantem superiorem gradum, quia alias non esset ex eis compositio physica, sed metaphysica; nec etiam dicit solam materiam aut nudam, quia hoc modo communis est omnibus rebus naturalibus, aut cum accidentibus, quia haec non pertinent ad essentiam substantiae; ergo includit specialem formam substantialem distinctam ab anima. Secundo ac principaliter motus est Scotus argumento a posteriori, quia in morte animalis recedit anima et non statim introducitur nova forma; non est autem dicendum manere materiam sine forma; ergo dicendum est manere sub forma corporeitatis, quae praeerat in animali. Maior probatur, quia, si introduceretur forma, illa esset diversa pro diversitate dispositionum; videmus autem non ita esse, sed in morte hominis idem cadaver manere sive ex redundantia caloris sive frigoris moriatur. Accedit etiam saepe nullum esse agens a quo talis forma educatur. Tertio, utitur Scotus argumento theologico, quod maxime movit Henricum; nam dici non potest corpus hominis mortui semper esse specie aut numero distinctum a corpore viventis; ergo necesse est fateri manere eamdem numero formam corporis sine nova forma, quia variata forma, variatur individuum, immo et species. Antecedens patet, quia alias non fuisset in sepulchro idem numero corpus, quod fuit in Christo vivente. Et si hostia fuisset ante Christi mortem consecrata et servata in triduo, non mansisset in ea idem corpus numero, quae videntur esse contra dicta Sanctorum.

8. *Roborantur duo Aristotelis principia quae destruuntur posita forma corporeitatis*.— Haec vero opinio etiam multiplicat formas sine sufficienti fundamento, et impugnari potest eisdem rationibus quibus dicta disp. XIII contra Avicen. usi sumus. Et praeterea supponit Scotus in sua sententia duo quae Aristoteli repugnant. Unum est interdum fieri corruptionem substantialem sine subsequenti generatione, contra Arist., I de Gener., c. 3. Secundum est fieri corruptionem substantialem manente completa substantia sensibili composita ex materia et forma, contra eumdem Philosophum, I de Gener., c. 4. Ad quae respondent scotistae Aristotelem loqui quando fit integra corruptio; quando autem moritur animal, non fit integra corruptio donec tanta fiat transmutatio in materia ut etiam forma corporeitatis abiiciatur. Sed haec eadem distinctio integrae vel dimidiatae corruptionis substantialis est aliena a doctrina Aristotelis, qui generationem et corruptionem substantialem semper definit esse inceptionem et desitionem simpliciter totius substantiae. Et praeterea sequitur tertio manere de facto in rerum natura individuum generis de praedicamento substantiae sub nulla specie corporis constitutum, quod non est minus impossibile quam intelligere aliquod animal in rerum natura nullius speciei animalium.

9. Responderi potest ex Scoto illud compositum ex materia et illa forma corporeitatis non esse individuum contentum sub genere corporis de praedicamento substantiae, ut putavit Avicenna; nam illud individuum esse debet substantia completa reipsa includens aliquam specificam formam quam confuse dicit corpus de praedicamento substantiae, et ideo in recto praedicatur de inferioribus; illud autem corpus constans ex materia et sola forma corporeitatis est tantum incompleta substantia et partialis; nam est pars cuiusdam compositi substantialis. Unde, sicut materia, quia est pars, potest esse reductive sub genere corporis et non sub aliqua specie, ita corpus illud quod est pars compositi.

10. Sed haec responsio non satisfacit, primo, quia ut aliquod individuum contineatur directe sub aliqua specie, satis est quod contineat actu totam essentiam actualem illius speciei, nec opus est quod contineat actu quidquid species continet in potentia, ut per se notum est; corpus autem de praedicamento substantiae est species subalterna contenta sub genere substantiae, de cuius actuali ratione solum est ut sit substantia composita ex materia et forma substantiali vel ut sit substantia per se existens et capax quantitatis; sed tota haec ratio actualis convenit illi individuo; ergo. Secundo, quia, licet pars substantiae reductive possit esse sub genere et non sub specie, tamen si directe et proportionate illi assignentur genera et species, impossibile est esse sub genere quin sit in aliqua specie eius, sicut supra dicebamus materiam, etiam conservatam de potentia Dei absoluta sine forma, non posse non esse in aliqua ultima specie materiae. Ita ergo forma illa quae constituit illud corpus seu cadaver non potest esse sub communi genere formae substantialis quin sit in aliqua ultima specie substantialis formae; ergo compositum ex tali forma et materia erit etiam in aliqua ultima specie substantiae compositae; ergo non tantum reductive in genere corporis. Et haec ratio, ut supra dicebam, convincit etiam illud compositum non esse amplius actuabile per ulteriorem differentiam substantialem, neque per formam a qua talis differentia sumatur, et ideo non esse partem nec potentiam per se ordinatam ad ulteriorem actum substantialem, sed esse completam substantiam in actu ultimo constitutam; nulla enim substantia est ita completa in actu nisi quia habet aliquam formam substantialem constitutam in aliqua specie ultima talis formae.

11. Tertio est argumentum ad hominem contra Scotum, quia, si non existimat inconveniens manere hoc corpus, quod dicit esse partem substantiae, sine ulteriori forma, non est cur inconveniens iudicet materiam manere sine forma; ergo ad vitandum hoc inconveniens non debuit introducere hanc corporeitatis formam. Antecedens patet, quia, sicut materia est potentia per se ordinata ad formam, ita corpus illud est potentia per se ordinata ad animam. Et sicut materia sub illa forma corporeitatis habet aliquam actualitatem, ita per se sola habet propriam actualitatem entitativam, quae sufficit ad existendum; ergo non est cur magis pendeat entitas materiae ab illa forma corporeitatis quam ipsa forma corporeitatis ab ulteriori forma, id est, anima; si ergo forma corporeitatis potest manere sine anima, etiam materia poterit manere sine forma corporeitatis. Est ergo impertinens illa forma. Quarto, sequitur ex opinione Scoti in generatione substantiali saepe introduci duas formas realiter distinctas; cum ergo mutationes multiplicentur ex terminis, erunt duae generationes substantiales ad unum compositum substantiale constituendum.

12. Quinto, accidere potest quod idem numero corpus, ex eisdem numero materia et forma constans, nunc vivat vita hominis, postea vita bruti; nam quando ex cadavere generatur vermis, non est cur mutetur forma corporeitatis; nam si illa manet in cadavere sine dispositionibus hominis, poterit melius manere sub forma cuiuscumque viventis. Immo inde videtur ulterius sequi sine causa limitari hanc formam ad sola viventia, sed ut minimum extendi debere ad omnia mixta, etiam inanimata; nam, ut ipse etiam Scotus loquitur, illa est forma mixtionis consurgens ex mixtione elementorum; ergo ubicumque fuerit haec mixtio, erit in materia dispositio sufficiens ad hanc formam; erit ergo in omnibus mixtis inanimatis; alioqui oportet ut Scotus declaret quaenam transmutatio facta in materia cadaveris sufficiat ad expellendam hanc formam. Nulla certe poterit rationabiliter assignari, nisi fortasse resolutio in prima simplicia elementa; nam ad omnes alias dispositiones quae consurgunt ex mixtione elementorum videtur esse indifferens talis forma, cum dicatur manere in ligno, osse

et carne, etc. Quod si hoc consequens admittatur, vix poterit assignari rationabilis differentia, cur talis forma non sit in materia cum forma auri vel alterius mixti homogenei, etc. Unde si ponenda esset forma corporeitatis, magis consequenter loqueretur qui eam poneret in omnibus entibus naturalibus cum Avicenna quam in quibusdam, ut alii faciunt. Atque hae rationes sufficiunt etiam contra opinionem Henrici; nam quae dicta sunt de viventibus in communi, applicari facile possunt ad solum hominem.

13. *Enervantur argumenta pro corporeitatis forma inducta*.— Accedit rationes quibus hi auctores moti sunt ad introducendam illam formam valde debiles esse. Ad primam enim respondetur, quamvis anima sit superior forma quam formae inanimatorum et requirat in materia organisationem membrorum, non propterea esse necessariam corporeitatis formam; nam per se sufficit ad actuandam immediate materiam et conservandam illam in esse seu terminandam dependentiam illius, et consequenter satis etiam est ut compositum ex tali materia et forma sit capax trinae dimensionis, quod est esse corpus de praedicamento substantiae; sufficit denique ut talis forma requirat in diversis partibus materiae diversas dispositiones accidentales, per quas diversa organa complentur, sive quia anima ipsa, si divisibilis sit, varias habet partes diversarum rationum partialium, quibus illae dispositiones respondent; sive quia, si anima sit indivisibilis, in sua eminenti et perfecta entitate totam illam varietatem virtute continet. An vero dispositiones illae accidentales praecedant in materia ordine naturae vel omnino consequantur animam quoad gradum proximum et ultimum, eadem ratio est de dispositionibus heterogeneis quae de homogeneis; et ideo necesse non est propter hanc causam particularem formam introducere in viventibus, sed philosophandum in hoc est iuxta dicta superiori disputatione de quantitate et accidentibus in materia prima.

14. *Vivens quo sensu dicatur corpore et anima constitui*.— Ad confirmationem, quod ad rem attinet, cum dicitur vivens constare corpore et anima, si per corpus pars physica intelligenda est, nihil essentialiter includere praeter materiam, quia, seclusa forma corporeitatis, nihil aliud essentiale potest manere in corpore ut est pars physica, ut recte probat argumentum ibi facturo. Unde Aristot., VII Metaph., text. 39: *Manifestum* (inquit) *est quod anima quidem substantia prima, corpus vero materia; homo vero, vel animal, quod ex ambobus*. Et quamvis in tali materia requirantur dispositiones organicae ut dispositiones ultimae conditionesque necessariae, tamen non pertinent ad compositionem substantialem; et consequenter nec essentialiter includuntur in parte physica essentiali. Nihil tamen est quod nos cogat ut nomine corporis intelligamus puram partem physicam, quae est materia, sed ut stat sub quodam gradu metaphysico formae seu (quod idem est) dicit compositum ex materia et anima, verbi gratia, non quatenus anima est, sed quatenus dat gradum corporeitatis; ad declarandam enim propriam rationem animae et singularem gradum perfectionis quem addit ultra communem gradum corporis, distinguimus peculiariter in viventibus animam a corpore et significamus corpus per modum partis physicae, non quia forma in eo inclusa sit pars physica comparata ad animam, sed quia ita concipitur ac praescinditur ac si esset forma distincta. De qua re plura dici possent, quae omitto, quia ea scripsi in III tomo III partis, disp. LI, sect. 4.

15. In *cuiusvis viventis morte forma cadaveris introducitur in materiam*.— *Cuius sit speciei et a quo agente fiat.*— Ad secundum respondetur esse falsum assumptum; nam in morte hominis et cuiuscumque animalis forma cadaveris introducitur ne materia maneat sine forma. De qua forma et de unitate aut distinctione eius et de causa efficienti ipsius non est hic dicendi locus, et parum refert ad rem de qua agimus. Probabile ergo est in viventibus specie diversis formam cadaveris quae loco animae introducitur, esse specie distinctam, ut constat de plantis atque etiam de animalibus. Utrum autem respectu eiusdem viventis succedat forma eiusdem speciei, utrumque potest probabiliter dici, ut Caietanus disputat contra Scotum, I, q. 76, a. 4. Quoad causam vero efficientem, dicendum est produci ab aliquo temperamento proximo cum concursu alicuius causae universalis, sicut generaliter dicendum est de his quae per accidens generantur ex putrefactione. Ad tertium dicendum est

corpus mortuum esse specie diversum, et consequenter quoad substantialem formam etiam esse numero distinctum. Neque refert quod de corpore Christi affertur, nam illud dicitur esse vel sensibiliter idem numero mortuum et vivum propter identitatem materiae, quantitatis et sensibilium accidentium, vel suppositaliter idem propter identitatem suppositi. De qua re dixi in III tomo, loc. citato, et latius in II tomo, disp. XXXVIII, sect. 3, ubi etiam declaravi an forma cadaveris, quae fuit in triduo in corpore Christi, fuerit hypostatice Verbo unita. Quod etiam Henricus loco supra citato attigit. Non est ergo necesse propter locutiones theologicas, quae commodum sensum habere possunt, fingere in homine novam formam sine fundamento philosophico, immo contra veram rationem substantialis et essentialis compositionis, ut partim ostensum est et in sequentibus amplius ostendemus. Specialis autem ratio physica, quae in homine sumi potest ex eo quod anima eius spiritualis est, in sequenti puncto tractabitur. Tractatur sententia de multiplicatione formarum iuxta gradus rerum

16. Ultimus modus dicendi in hoc primo capite esse potest in unaquaque re tot multiplicari formas substantiales per se subordinatas, quot sunt gradus rerum naturalium et iuxta numerum graduum qui ab una et eadem substantia participantur. Sunt autem quatuor gradus substantiarum materialium, scilicet, inanimatorum corporum, vegetabilium, sensibilium et rationalium. Rursus entia naturalia quaedam participant unum solum gradum, et in eis tantum est una forma, et haec sunt corpora inanimata; vegetantia vero duos participant gradus, unde duabus formis constituuntur; animalia tribus, homines quatuor. Quam sententiam hoc modo integre declaratam non invenio; tamen auctores qui docuerunt esse in homine tres animas realiter distinctas, si consequenter loquantur, necesse est ut totum discursum factum amplectantur; nam qua ratione in homine distinguunt tres, oportet in brutis duas etiam distinguere; et qua ratione ipsas animas inter se separant, oportet quod gradum etiam animae a communi gradu formae corporalis distinguant; nam his omnibus eadem est proportio. Neque alia ratio distinctionis dari potest nisi graduum subordinatio et distinctio. Tenent autem eam opinionem de trium animarum distinctione Philop,. I de Anima, text. 91; quem sequitur Iandun., c. de Anima, q. 12; et Paulus Venetus, in Sum. de Anima, c. 5. Quorum fundamenta hoc loco non referam, quia fere coincidunt cum his quae in referendis aliorum opinionibus tacta sunt.

17. Solum in homine videtur inveniri peculiaris necessitas plurium animarum, saltem duarum, ob duas praecipuas causas homini proprias. Una est, quia rationalis anima est perfecte spiritualis et indivisibilis maximeque distans ab imperfectione materiae; et ideo extrema tam distantia non videntur posse immediate coniungi; est ergo necessaria aliqua forma qua mediante uniantur. Atque haec ratio peculiariter favet opinioni Henrici supra tractatae, nam anima rationalis, cum sit incorporea, non potest dare esse corporeum; ergo nec potest esse forma corporeitatis. Et eadem ratione non potest esse forma vegetativa aut sensitiva formaliter; nam huiusmodi formae sunt materiales et corruptibiles; ergo propter haec requiritur in homine aliqua forma materialis praeter animam, sive illa sit una sive multiplex.

18. *Duas animas ponebant Manichaei*.— Altera causa est quia in homine sunt operationes contrariae, nam caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversos carnem; non possunt autem contrariae operationes ab eodem principio prodire, sed a contrariis. Quo argumento utitur Ocham, qui hanc sententiam docet, Quodl. II, q. 10, et in 11 addit etiam distingui has animas a forma corporeitatis, et in brutis etiam distinctam facit talem formam ab anima sensitiva eorum. De anima vero sensitiva et vegetativa negat esse distinctas. In quo certe non consequenter loquitur; neque etiam declarat an in plantis distinguatur anima a forma corporeitatis. Manichaei etiam duas in homine asserebant esse animas, unam spiritualem a bono Deo inditam, aliam vero animalem ei contrariam, et a contrario principio, malo scilicet Deo, quem illi fingebant, profectam, ut retulit August., lib. de Duab. Animab. contra Manichaeos, et X Gen. ad litter., c. 13, et lib, de Vera religione, c. 9; et plures Doctores catholicos secutos esse hanc sententiam de duabus animabus in homine, spirituali et sensuali, testatur Hier., epist. 150 ad Hedib., q. 12, tractans locum quo movebantur, I ad Thessal., 5: *Deus pacis sanctificet vos, ut integer spiritus vester et anima et*

*corpus sine querela in adventum Domini nostri Iesu Christi servetur*. Cui testimonio coniungebant illud Daniel., 3: *Benedicite, spiritus et animae iustorum, Domino*. Idem tenuit Philo, in libro Quod deterius potiori insidietur.

19. *Improbatur adducta sententia cum suis explicationibus*.— Haec vero sententia non solum in philosophica ratione improbabilis est, sed etiam in nostra fide parum tuta, quantum ad eam partem qua ponit in homine plures animas. Et quidem quantum ad illam rationem generalem distinguendi plures formas substantiales ex gradibus rerum, a posteriori ex eo recte improbatur quod ex illo principio sequitur necessarias esse in homine animas realiter distinctas, quod est a sana doctrina alienum. Deinde omnes rationes quibus probavimus non distingui in viventibus animam a forma corporis, a fortiori probant additionem novi gradus non sufficere ad formas realiter distinguendas.

20. Immo rationes factae contra primam sententiam, quibus ostensum est non distingui realiter formas propter diversa praedicata quidditativa inter se subordinata, idem probant, etiam si unum praedicatum addat alteri novum gradum, nam quando illi duo gradus in una et eadem re coniunguntur, unus comparatur ad alium ut differentia specifica ad genericam, et ita ex utroque una substantialis species constituitur tamquam ex universali et particulari; ergo in re non distinguuntur gradus seu differentiae ut coniunctae in tali specie; ergo nec formae, quae sunt principia talium graduum vel differentiarum, realiter distinguuntur in tali substantia. Quod tandem declaratur applicando cum proportione rationem supra factam, nam si in equo, verbi gratia, est anima vegetativa, necesse est ut per aliquam specificam differentiam sit contracta, nam anima vegetativa ut sic solum dicit rationem genericam, quae distinguitur per varias species, ut in arboribus et plantis est evidentissimum; non potest autem esse in equo individua et realis anima constituta sub genere animae vegetativae et non sub aliqua specie illius generis; ergo necesse est ut per aliquam specificam differentiam sit contracta et constituta. Aut ergo illa differentia continetur intra gradum ipsum vegetativum, sicut differentia specifica cuiusdam arboris, verbi gratia, piri, manet intra latitudinem gradus vegetativi; vel est ipsamet differentia elevans illam animam ad gradum sensitivum. Primum dici non potest, quia alias illa anima ut sic constitueret ultimam quamdam et infimam speciem rei vegetabilis, quae non esset capax ulterioris differentiae et consequenter neque ulterioris animae; neque compararetur ille gradus ad subsequentem ut genus ad speciem, sed opponerentur tamquam duae species ultimae condistinctae; ergo necesse est dicere secundum, nimirum animam vegetativam secundum suam rationem genericam contrahi in anima equi per ipsummet gradum specificum. Ex quo aperte concluditur animam vegetativam in equo non esse re distinctam a sensitiva, quia nulla res potest distingui realiter a differentia per quam essentialiter constituitur.

21. Atque haec ratio eamdem vim habet in anima rationali, et eodem modo applicari potest; nam, si anima sensitiva, verbi gratia, esset in homine re distincta a rationali, illa esset specifice contracta intra gradum sensitivum; unde esset anima quaedam irrationalis et belluina, quae, seclusa rationali, aut per intellectum, aut reipsa saltem per potentiam Dei, vere constitueret quodam brutum tam integrum et completum in specie animalis sicut est equus; quo modo recte ait August., lib. LXXXIII Quaest., q. 8, Apollinarem, dum asseruit Verbum assumpsisse animam sensitivam sine rationali, reipsa dixisse assumpsisse quamdam belluam. Quomodo ergo posset compositum tali anima constitutum ulterius informari anima rationali?

22. Praeterea est optima ratio communis quidem omnibus, sed quae evidentius in homine conspicitur sumiturque ex subordinatione et dependentia omnium humanarum virium ac facultatum; nam ex attentione nimia ad actionem unius facultatis, verbi gratia, intellectivae, impeditur operatio sensus, immo et ipsa nutritio; et ex operatione unius potentiae, verbi gratia, operatione phantasiae, movetur cor et excitantur aliae facultates naturales. Ex qua experientia supra probavimus dari formam substantialem distinctam

a facultatibus accidentalibus, ut sit unum principium in quo omnes facultates radicentur et a quo proveniat illa sympathia actionum.

23. Possent praeterea hic adiungi argumenta theologica, ut est illud quod sumitur ex illis verbis Genes., 2: *Formavit Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*; ille enim spiritu quem Deus spiravit anima rationalis fuit, et per eamdem factus est homo vivens et consequenter etiam sentiens. Aliud est ex VIII Synodo generali, quae est Constantinop. IV, can. 11, qui sic habet: *Apparet quosdam in tantum impietatis venisse, ut homines duas animas habere dogmatizent; tales igitur impietatis inventores et similes sapientes, cum vetus et novum Testamentum omnesque Ecclesiae Patres unam animam rationalem hominem habere asseverent, sancta et universalis Synodus anathematizat*. Unde in lib. de Eccles. dogmat., c. 15, hoc etiam traditur ut dogma certum; quia vero Ocham dicit ibi esse sermonem de duabus animabus rationalibus, ut constet id esse falsum, referam verba: *Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Iacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem, qua animetur corpus et immixta sit sanguini, et alteram spiritualem, quae rationem ministret; sed dicimus unam esse eamdemque animam in homine, quae et corpus sua societate vivificet et semetipsam sua ratione disponat*. Similia habet Augustinus, de Spirit. et anim., c. 3; Damascen., lib. II de Fide, c. 12. Accedit quod alias mortuo homine aliqua anima desineret esse, et Christus moriens aliquam substantiam Verbo unitam simpliciter dimisisset. Unde Ocham, ut hoc incommodum evitet, dicit animam sensitivam Christi conservatam esse in Christo, vel cum rationali vel cum corpore. Sed si intelligat mansisse unitam corpori, est haeresis, alias corpus illud non mansisset mortuum, sed sentiret. Si vero intelligat mansisse separatam, dicit miraculum inauditum quod forma materialis conservata sit sine materia. Item inauditum est in Ecclesia duas animas Christi esse separatas in triduo.
Quare temerarium esset, ne dicam erroneum, id asserere.

24. Quocirca, cum spiritus et anima hominis distincte nominantur in Scriptura, non distinguuntur substantia, sed munere et officio, ut Hieronymus supra indicat, et late declaravimus in I tom. III partis, q. 6, in Com. a. 2, et disp. XVII, sect. 4. Saepe vero ipsa anima, prout absolute vivificat corpus, nomine spiritus appellatur, ut Ecclesiast., 12: *Et spiritus redit ad Dominum*, etc.; qui spiritus immortalis alibi anima vocatur, nempe Matthaei, 10: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Et de Christo Domino dicitur Matth., 27, quod emisit spiritum, id est, animam. Unde in Clement., unic. de Sum. Trinit., dicitur Christus assumpsisse partes naturae nostrae unitas, corpus scilicet et animam rationalem.

25. *Rationalis anima, licet inextensa, materiae forma est*.— Nec rationes in contrarium factae difficilem habent solutionem. Ad primam enim negatur minor, nam, licet anima sit indivisibilis et spiritualis, potest immediate uniri materiae, quia essentialiter est actus eius. Non enim refert quod in perfectione entis multum inter se distent materia et anima rationalis, nam ad unionem non est attendenda distantia vel propinquitas in perfectione entitatis, sed in proportione et convenientia in mutuo respectu actus et potentiae, quae proportio sufficiens reperitur inter materiam et animam; immo fortasse maior et perfectior quam inter materiam et quamcumque aliam formam. Alioqui etiamsi fingatur materia iam informata quacumque forma vel anima extensa et materiali, adhuc erit anima improportionata ut uniatur illi; quia quod ad extensionem attinet, tam extensa est illa forma sicut materia; ergo si inde oriebatur improportio, non tollitur, immo augetur aliunde. Primo, quia cum illa anima sensitiva sit actus substantialis et specificus, ut probatum est, magis distat ab anima rationali quoad proportionem requisitam ad unionem quam anima et materia, et ita potius impedit quam iuvat ad unionem. Secundo, quia si intercederet anima sensitiva, intellectiva esset purum principium intelligendi; purum autem intelligendi principium non est aptum ad informandum corpus, ut latius ostendemus infra, tractando de intelligentiis separatis. Ut ergo rationalis anima sit vera forma corporis, oportet ut ipsamet sit principium non tantum intellectionum, sed etiam operationum quae exercentur per corpus; ergo maxime operationum sensitivarum, quae sunt actionibus intelligendi propinquiores. Quod adeo

necessarium est, ut dubitaverint nonnulli an ipsamet anima quatenus intellectiva informet corpus. Non vero est quod dubitaverint, nam rationalis anima essentialiter est forma corporis secundum se totam et secundum omnes gradus, qui, licet a nobis ratione praescindantur, in re tamen idem in anima sunt. Unde, licet ex essentia huius animae non dimanent potentiae intellectivae quae in corpore recipiantur, tamen eaedemmet potentiae sensitivae, immo et vegetativae, manant cum singulari quadam perfectione propria rationalis animae et proportionata ad ministrandum actionibus mentis. Et hoc etiam est argumentum eamdem esse animam sensitivam cum rationali in homine.

26. *Anima rationalis qualiter forma corporeitatis*.— Ex quo etiam intelligitur quomodo anima rationalis, licet sit incorporea, possit esse forma corporeitatis; nam esse actum aut formam corporeitatis, non est esse ipsam corpoream seu extensam, sed esse formam constituentem cum materia unam substantiam compositam capacem quantitatis. Unde, ut supra, disp. XIII, dicebam, idem omnino est esse formam corporeitatis quod esse formam substantialem materiae, quia ex hoc praecise quod sit actus substantialis materiae, constituitur ex utraque substantia integra, materialis et corporea. Cum ergo rationalis anima, etiamsi sit indivisibilis, vera forma sit substantialis corporis, habet quidquid necessarium est ut sit forma corporeitatis. Ex quo etiam concludi potest continere etiam sufficienter gradus intermedios, vegetativum, scilicet, et sensitivum, ita ut eos formaliter conferre possit composito, quia non potest continere extremos gradus sine his mediis. Dici autem solet frequenter rationalem animam virtute et eminenter continere hos gradus. Quod tamen aliis videtur non sufficere ad formalem causam, licet ad efficientem satis sit. Atque ita sine dubio dicendum est, sicut de ratione formae corporeitatis non est ut sit corporea formaliter, ita de ratione animae vegetativae et sensitivae non esse quod sint materiales et extensae, sed quod sint principium formale vegetandi et sentiendi, et quod constituant formaliter vivens secundum hos gradus vitae, quod vere ac formaliter habet anima rationalis; dicitur tamen eminenter continere, comparatione facta ad formas illorum graduum quae perfectionem eorum non transcendunt, quia altiori modo continet perfectiones earum. Unde, generatim loquendo, negandum est esse de ratione formae vegetativae aut sensitivae quod sit corruptibilis, aut educta de potentia materiae, sed addendum esset illud esse de ratione animae vegetativae tantum aut sensitivae tantum; in homine autem nulla est forma quae sit aut vegetativa aut sensitiva tantum. Quare nulla est in homine forma educta de potentia materiae. Neque hoc obstat, ut alii obiiciunt, naturali generationi hominis, quia ad hanc non est necesse ut forma fiat per eductionem; alias etiamsi in homine esset anima sensitiva educta de potentia materiae, non generaretur homo, sed illud animal irrationale constitutum per talem animam. Ad generationem ergo naturalem satis est quod unio animae ad corpus naturali modo fiat per naturalem dispositionem et actionem.

27. *In homine contrariae operationes*.— Ad ultimam rationem Ochami respondetur imprimis diversitatem vel oppositionem operationum indicare diversitatem facultatum proximarum, non vero formarum, ut supra dictum est. Deinde dicitur dupliciter intelligi posse esse in homine operationes contrarias, scilicet, vel simul vel diversis temporibus. Hoc posterius non solum in eadem anima, sed etiam in eadem potentia accidere potest, ut per se constat; illud autem prius non est verum, intellectum de propria contrarietate, nam quando voluntas et appetitus simul moventur affectibus contrariis, tendunt in obiecta sub diversis rationibus et diverso etiam modo; nam, si affectus unius est efficax, alterius est inefficax, ex quo potius colligitur hos appetitus in eadem anima radicari, nam motus unius retardat motum alterius, si sit aliquo modo repugnans; si autem inter se consentiant uterque, facilius et promptius fit. Atque haec de primo capite et modo fingendi plures formas substantiales in eadem materia.

*De partibus heterogeneis et earum formis*

28. Secundus modus opinandi de pluralitate formarum esse potest, contingere duas formas substantiales manere in eadem materia vel in eadem parte illius, quando una est imperfecta et comparatur ad aliam ut dispositio praeparans materiam et non ut forma

generica et specifica; in quo est magna differentia inter hunc modum et praecedentem, quod in illo utraque forma est essentialis composito, et praedicata a singulis formis desumpta quidditative et essentialiter inter se praedicantur, ut hominem esse animal, etc., quod plane repugnaret, si formae essent distinctae. At vero iuxta hanc secundam viam, forma quae est dispositio ad aliam non est de essentia substantiae compositae ex materia et alia forma, sicut tales dispositiones accidentales non sunt de essentia, sed causae aliquo modo extrinsecae.

29. Duas autem opiniones invenio quae ad hoc secundum caput pertinere videntur. Una est quae in solis viventibus ponit in singulis partibus dissimilaribus singulas formas partiales specie distinctas, disponentes ad integram formam, quae est una realiter distincta ab omnibus illis partialibus. Ita tenet Antonius Andr., VII Metaph., q. 17; et Paulus Venetus, in Sum. de Anim., c. 5; Niphus, I de Generat., text. 78; et solet tribui Commentatori, eo quod VI Phys., com. 59, dicit cor, caput, et huiusmodi partes specie differre; et II Metaph., text. 17, ubi dicit animal et partes eius convenire in forma totius et differre in formis propriis. Et de his partibus intelligunt aliqui quod Aristoteles ait, II de Generat. animal., c. 3, hominem prius vivere vita plantae, post animalis, tandem vita hominis. Rationes praecipue sunt quia in his partibus sunt dispositiones, non solum diversae, sed etiam contrariae, et ab eisdem sunt operationes diversarum rationum. Ergo habent etiam formas partiales diversarum rationum. Item, quia pars heterogenea abscissa retinet eamdem naturam carnis aut ossis, et tamen in ea non manet forma totius; ergo manet forma partialis. Tertio, quia hae partes differunt specie; ideo enim partes heterogeneae seu dissimilares dicuntur; sed non differunt in forma totius; ergo differunt in formis partialibus.

30. Haec vero sententia merito reiicitur ab omnibus qui negant pluralitatem formarum, quos infra referam, et specialiter agit contra illam Iavellus, VII Metaph., q. 16. Et praeter rationes generales quae probant unitatem formae substantialis, impugnatur in hunc modum. Aut loquimur de viventibus habentibus indivisibilem animam, aut divisibilem et coextensam materiae. Si de posterioribus sit sermo, facile concedi potest in diversis partibus heterogeneis esse diversas partes formae heterogeneas; nam revera in arbore non est eiusdem rationis illa pars formae quae est in fronde et quae est in fructu, etc.; sunt tamen partiales illae formae et aptae ut inter se uniantur et continuentur, et ideo componunt unam integram formam totius. Quapropter falsum est fingere aliam formam totalem superadditam his formis partialibus et omnes illas partes iterum informantem; ad quid enim est huiusmodi forma, aut quo indicio probabili ostenditur? Quidquid enim est in toto et in singulis partibus, quantum ad accidentia et operationes, salvatur sufficienter cum solis illis formis partialibus inter se unitis, seu (quod idem est) cum sola forma integra composita ex illis partibus. Praeterea inquiro an illa forma totalis indivisibilis sit vel extensa. Primum dici non potest de his formis materialibus; et, si de aliquibus dicatur, id pertinet ad secundum membrum supra propositum. Erit ergo forma illa extensa et composita ex partibus; de qua rursus interrogo an partes eius, quae correspondent diversis partibus heterogeneis corporis, sint omnino similes et eiusdem rationis inter se vel aliquo modo diversae et dissimilares. Primum dici non potest, praesertim loquendo consequenter in illa sententia, nam contra illud procedunt argumenta quibus ipsa nititur, quomodo, scilicet, forma, quae in se est eiusdem rationis, requirat in diversis partibus diversas et contrarias dispositiones, maxime cum non sit tota in singulis partibus, sed secundum diversas partes, quae inter se sunt omnino similes. Item, quomodo habeat illa forma in diversis partibus diversas actiones; nam si hoc tribuatur diversis dispositionibus, ergo sufficient diversae dispositiones accidentales ad eam diversitatem actionum, cum actiones ipsae accidentales etiam sint; ergo superfluum est fingere in singulis partibus duplicem formam substantialem, partialem, scilicet, et totalem, quarum una sit dispositio ad aliam. Et praeterea contra hunc modum multiplicandi formas procedent a fortiori quae in sequenti membro dicemus.

31. *Brutorum omnium formae divisibiles*.— In his ergo viventibus, quae habent indivisibiles formas, videri potest nonnulla maior dubitandi ratio, quae revera solum habet locum in compositione hominis; quamvis enim de animabus perfectorum animalium sit nonnulla controversia, suppono tamen esse probabilius nullam formam materialem esse vere

ac proprie indivisibilem. Duobus enim modis potest dici forma indivisibilis: uno modo, quia, licet constet ex partibus, tamen vel separari naturaliter non possunt, ut in formis caelestibus, vel non possunt ita separari ut separatae conserventur, sed statim ac dividuntur, corrumpuntur. Et hoc fortasse modo sunt indivisibiles animae perfectorum animalium; haec tamen indivisibilitas nihil refert ad rem de qua agimus, quia satis est quod ipsamet anima constet ex partibus heterogeneis et ex earum inseparabili unione tota consurgat, ut supervacaneum sit alias partiales formas in singulis partibus confingere, ut ratio superius facta probat; nam aeque procedit, sive illa forma divisibilis sit sive indivisibilis in dicto sensu, ut per se notum est. Alio ergo modo dicitur forma indivisibilis proprie et in rigore, quia nullis partibus constat, quam necesse est et totam esse in toto et totam in qualibet parte, et hoc modo solam animam rationalem existimamus esse indivisibilem; quamquam rationes quae de illa fient possint applicari ad quamcumque aliam, si quis existimaverit esse indivisibilem.

32. *In partibus humani corporis heterogeneis unica forma*.— Quod ergo talis forma non requirat in partibus sui corporis organici diversas partiales formas, probatur primo ex eminentia et perfectione talis formae, quae, cum in se sit indivisibilis actus, per se primo respicit, ut adaequatum susceptivum, totum illud constans ex omnibus illis partibus diversimode dispositis partialiter ut ex eis consurgat integra dispositio consentanea perfectioni talis formae; ergo etiam in tali composito sunt superfluae tales formae partiales. Patet consequentia, tum quia ipsa indivisibilis forma est sufficiens ad actuandam plene et perfecte quamlibet partem illius materiae, etiamsi varie disposita sit; tum etiam quia illae formae partiales non tollunt quin ipsa indivisibilis forma respiciat omnes illas partes varie dispositas ut componentes suum adaequatum susceptivum; neque tollunt quin illa eadem forma sit principium radicale et principale omnium actionum quae per illa varia membra exercentur; in quo genere illa etiam est sufficiens principium earum; ergo superfluae sunt illae formae partiales.

33. Secundo, quia repugnat unam formam substantialem esse dispositionem proximam et permanentem ad aliam substantialem formam. Potest quidem una forma esse dispositio remota et transiens (ut sic dicam); sic enim forma sanguinis est dispositio et quasi via ad formam carnis, remota tamen et transiens, quia non manent simul, sed ex sanguine fit caro ut ex transeunte materia. Similiter forma embryonis est dispositio ad formam hominis, et eodem sensu accipiendum est quod ex Aristotele supra referebamus, nempe hominem prius vivere vita plantae, post vita animalis, etc.; in hoc enim significavit processum generationis ab imperfecto ad perfectum per varias dispositiones, donec ad introductionem ultimae formae perveniatur; semper tamen imperfectior forma recedit adveniente perfectiori. Quod vero una forma substantialis sit dispositio ultima ad aliam, simul permanens cum illa, fieri nullo modo potest; quia unaquaeque forma substantialis dat esse simpliciter et constituit essentiam completam in genere substantiae; ergo non potest una forma esse talis dispositio ad aliam. Nec refert si quis dicat hoc esse verum de formis totalibus, non autem de partialibus, nam si in omnibus partibus corporis humani praeter animam sunt huiusmodi formae, ex omnibus illis formis partialibus consurget una integra forma distincta ab anima rationali; nam, sicut omnes partes materiae sunt inter se unitae et componunt unum integrum corpus, ita omnes illae formae partiales erunt inter se unitae, sicut partes materiae quas informant; component ergo unam integram formam in suo proprio genere et specie constitutam; ergo non potest esse dispositio ad aliam formam totalem eiusdem materiae.

34. Ex quo argumentor tertio, nam vel illa forma composita ex partialibus est anima vegetativa, aut sensitiva, vel est forma inanimati. Hoc posterius dici non potest consequenter, alias non deservirent hae formae partiales ad propria munera vitalia singulorum membrorum, cum tamen propter hanc potissimum causam poni dicantur. Et praeterea contra huiusmodi formam procedunt omnia quae supra dicta sunt de forma mixtionis aut corporeitatis. Et simili modo, si talis forma dicatur esse anima, contra eam positionem procedunt omnia supra adducta in eos qui ponunt in homine duas vel tres animas. Neque refert si quis contendat ex

illis partialibus non componi unam, nam tunc de unaquaque forma partiali per se sumpta, ut carnis aut ossis, eadem ratio procedet; quia revera in hac consideratione unaquaeque forma illarum solo nomine dicitur partialis, cum non sit vera pars alicuius totalis formae; in se ergo erit quaedam forma integra, de qua interrogari poterit an sit anima necne, et procedet ratio facta.

35. Et similiter poterit inquiri an hae formae partiales seu integra ex illis composita maneat in corpore, recedente anima rationali, vel pereat. Si primum dicatur, sequitur primo satis consequenter manere corpus illud vivum, recedente rationali anima; nam (ut dixi) formae illae, aut quae ex illis consurgit, anima esse debet, alias nihil deserviret ad operationes vitae. Item, sequitur partem abscissam et coniunctam corpori humano esse univoce carnem aut os, etc., quod est contra Arist., VII Metaph., text. 56, et clarius I de Generat. animal., c. 19, et I de Anim., c. 1. Si vero tales formae partiales omnes recedunt, recedente anima, primum absque ullo indicio vel necessitate finguntur. Et deinde sequuntur inconvenientia theologica quae supra inferebamus, scilicet in Christi morte aliquam substantialem formam dimissam esse a Verbo vel manere separatam simul cum anima rationali.

36. *Plato quomodo plures formas in homine posuerit, refutaturque*.— Adde Aristotelem, I de Anima, text. 91 et sequentibus, ex professo impugnare opinionem Platonis, ponentis plures animas in diversis partibus corporis. Est autem eadem ratio de multis formis partialibus. Verum est solum posuisse Platonem diversas animas quasi partiales in diversis partibus, non vero deinde unam integram in toto; sed hic modus ponendi plures non pertinet ad praesentem disputationem, quia revera iuxta illum non ponuntur plures formae in eadem parte materiae. Constat vero esse omnino falsum, quia ex illo sequitur animam rationalem non informare corpus humanum, sed aliquam partem eius, et consequenter sequitur non esse principium omnium actuum vitalium hominis, quod repugnat sanae doctrinae, quae definit animam rationalem esse veram formam corporis. Et supra etiam est ostensum ex connexione harum operationum colligi radicationem illarum in uno principio. Denique ratio Aristotelis est quae ad rem maxime spectat; sic enim colligit: aut illae animae informantes diversas partes uniuntur in una anima, vel non. Si non uniuntur, ergo non componunt per se unum. Si autem uniuntur in una anima, vel per unam quasi communem omnibus continentur in uno composito, illa una sufficit, et aliae plures falso et superflue multiplicantur; haec vero ratio aeque procedit de quibuscumque partialibus formis.

37. Ad rationes contrariae sententiae patet solutio ex dictis. Ad primam respondetur illas varias dispositiones partium organicarum complere unam integram dispositionem unius formae totalis, vel divisibilis vel indivisibilis, ut explicatum est. Quod vero ad operationes harum partium attinet, si sit sermo de actionibus mere naturalibus et transeuntibus, ut calefacere, frigefacere, etc., hae proxime proveniunt a primis qualitatibus, quibus hae partes diversimode disponuntur et afficiuntur. Si vero sit sermo de operationibus vitalibus, ut sunt attrahere, expellere, tangere, videre, etc., hae proveniunt proxime a diversis facultatibus vitalibus, quae interdum in eadem, interdum in diversis partibus corporis existunt; omnium vero radicale principium est una et eadem forma, quia est universale principium haec omnia virtute continens. Et ideo propter has dispositiones vel operationes non est necesse multiplicari partiales formas, praesertim cum, illis positis, necesse sit fateri superiorem et totalem formam partes illas informare et requirere in illis illas varias dispositiones, et posse per illas exercere illas varias operationes.

38. *Abscissa pars si iterum uniatur, an substantialiter id fiat*.— Ad secundum respondetur negando antecedens, nam in parte heterogenea abscissa non manet eadem forma quae antea erat, et ideo manus abscissa est aequivoce manus, ut Aristot. dixit. Sed solet contra hoc instari, quia huiusmodi pars abscissa, si intra breve tempus iterum coniungatur toti secundum eamdem partem unde abscissa est, vere ac substantialiter unitur et vivit sicut antea; ergo retinuit eamdem formam, alioqui non posset iterum ab ea informari, quia a privatione ad habitum non est regressus. Sed haec replica eamdem difficultatem habet in omni sententia, quia negari non potest quin pars illa per divisionem amiserit informationem

formae totalis, verbi gratia, animae rationalis; si ergo postea iterum unitur et informatur ab illa, fit regressus a privatione ad habitum. Si autem negetur iterum informari rationali anima, eadem ratione negabimus nos iterum vere uniri. Unde Soncin., VIII Metaph., q. 10, ad 7, probabilius putat nunquam iterum fieri perfectam unionem physicam talis partis. Ad experientiam vero, quae esse dicitur quod talis pars iterum vivit et sentit, respondebitur iuxta hanc sententiam negando esse sensum in ipsamet parte, sed in propinquis; sicut in ossibus aut dentibus videtur esse doloris sensus ex propinquitate aliarum partium. Quod vero attinet ad nutrimentum et conservationem temperamenti, dicetur fieri per iuxtapositionem. Sed quia haec sunt creditu difficilia, probabilius fortasse est illam partem iterum informari anima rationali, nec est inconveniens ex partiali illa privatione et quasi momentanea redire ad habitum, quia forma in se integra mansit, et dispositiones quae in tali parte erant ad illam numero formam eaedem permanserunt, et in ea parva mora parum etiam diminutae fuerunt, et ideo non est inconveniens quod eadem forma ad illam partem materiae statim revertatur.

39. *An partes heterogeneae differant substantiali specie*.— Ad tertium responderi potest negando assumptum, scilicet heterogeneas partes differre specie substantiali, sed satis est quod accidentali differant, unde dissimilares dicuntur propter diversitatem dispositionum. Nihilominus in viventibus habentibus animas extensas, probabilius censeo inter ipsas partes animae quae diversas partes organicas informant esse aliquam maiorem diversitatem quam sit inter partes formae homogeneae, ideoque in ipsamet substantia esse aliquam diversitatem inter has partes, quae recte appellabitur specifica partialitas. In forma autem humana habet specialem difficultatem quomodo informet has partes, et pro ratione dispositionum diversimode uniatur illis. Sed haec res pertinet ad scientiam de anima.

*De formis elementorum, an maneant in mixto*

40. Secunda sententia, pertinens etiam ad hoc secundum caput, est Avicennae, Commentatoris et aliorum, qui dicunt in omnibus mixtis manere formas elementorum; non enim videtur credi posse quod in alium usum maneant quam ut sint dispositiones ad formam mixti. Hoc autem tenet Avicen., I Sufficient., c. 10; et Comment., I de Generat., c. de Mixtione, et III de Caelo, text. 67. Qui differunt, nam ille ponit formas substantiales elementorum indivisibiles, et ideo affirmat manere in mixto integras et perfectas substantialiter; hic vero putat illas formas esse intensibiles et remissibiles, et ideo ait manere in mixto remissas, iuxta proportionem suarum qualitatum. Putat enim has formas elementorum adeo esse imperfectas ut sint veluti mediae inter qualitates et substantiales formas perfectas; propter quod fortasse a Platone, in Timaeo, qualitates vocantur, ideoque imitantur qualitates in graduali latitudine, secundum quam possunt intendi et remitti, quam opinionem sic expositam sequuntur Niphus, I de Gener., text. 118, et VIII Metaph., disp. IV,. et XI Metaph., disp. ult.; Zimara, Theorem. 48. Multi etiam ex medicis eamdem sententiam secuti sunt, ut videre licet apud Thom. de Garvo, in Sum. medicin., lib. I, tract. I, q. 1; et praesertim Galen., in II Method., c. 2, et lib. de Substantia naturali, ad finem; et ex theologis idem secutus est Aureol., In II, dist. 15, ut ibi referunt Capreol. et Gregor.

41. *Variis modis explicatur sententia*.— Variis autem modis intelligi potest haec opinio. Primo, quod formae elementorum maneant in diversis particulis materiae minutissimis. Et hoc modo posuit Avicenna manere in mixto huiusmodi formas, et fortasse voluit formam mixti informare omnes illas particulas casque inter se unire, alioqui non posset salvare substantialem mixtionem, sed solum per iuxtapositionem, ut per se notum apparet. Singulae enim ex illis particulis, sicut materia et forma distinguerentur, ita et quantitate; ergo et loco, non enim possent loco penetrari; ergo solum per iuxtapositionem dicerentur misceri, sicut aqua et vinum, dum in suis substantiis integra manent; non tamen singulae particulae essent mixtae, et consequenter nec totum esset substantialiter mixtum neque esset per se unum, quia partes non essent per se connexae; unde facile dissiparentur per mutuam actionem vel localem motionem. Necessaria ergo est alia forma propria mixti, diversa a formis elementorum, ut iterum infra contra Aureolum ostendemus. At hoc etiam est impossibile. Primo, quia forma mixti et forma elementi diversas requirunt dispositiones et

incompossibiles, ut omittam rationes generales contra pluralitatem formarum. Secunda, quia cum omnes partes mixti, praesertim in rebus homogeneis, habeant idem temperamentum primarum qualitatum, nulla potest ratio reddi ob quam in una parte materiae mixti sit forma ignis, in alia aquae, etc. Quae ratio etiam procedit in rebus heterogeneis; nam quaelibet pars heterogenea ex homogeneis constat et mixta est. Tertio, quia si in partibus eodem modo dispositis manent diversae formae elementorum, signum est illam formam in tali parte non esse dispositionem ad formam mixti, quandoquidem in simili parte esse potest cum contraria forma substantialis mixti; ergo aeque bene aut melius esse poterit, etiamsi in tali parte materiae nulla forma elementi existat, dummodo ibi sit temperamentum proportionatum primarum qualitatum, quod etiam pendere non potest a forma talis elementi, cum in alia parte simili dicatur esse cum forma contraria. Ex quo etiam concluditur talem formam esse impertinentem ad omnem actionem et conservationem illius partis mixti, in qua esse dicitur; atque adeo ex nullo effectu aut signo naturali colligi posse formas elementorum manere hoc modo in mixto.

42. Alio modo potest intelligi illa sententia, quod scilicet omnes formae elementorum simul informent quamlibet partem materiae mixti, et deinde superveniat forma mixti informans etiam totam illam materiam. Et hic modus tot continet absurda ut ea de causa a nemine assertus videatur;nam primo sequitur formas formaliter repugnantes simul esse in eadem parte materiae in suo esse integro et perfecto; formae enim elementorum formaliter inter se pugnant; nam, si dispositiones eorum sunt formaliter repugnantes, quomodo ipsae formae non erunt? Alioqui, qualiter unum elementum generabitur ex alio? Aut cur generatio unius erit corruptio alterius, si formae eorum non sunt repugnantes in materia? Secundo, si huiusmodi formae non habent proprias dispositiones in gradu sibi proprio, et consequenter nec proprias actiones, nihil conferre possunt ad formam mixti; ergo non sunt dispositiones ad illam. Immo, impossibile est quod eadem forma postulet in eadem parte materiae dispositiones omnino repugnantes et in esse perfecto earum, ut summum calorem et summum frigus; at vero non minus repugnant inter se substantiales formae aquae et ignis, praesertim in suo esse perfecto. Tertio, faciunt maxime contra hanc sententiam argumenta generalia fieri solita contra pluralitatem formarum, quia ponit in eadem parte materiae plures formas specificas per se sufficientes ad constituendum suppositum habens suum proprium esse simpliciter et requirentes dispositiones valde repugnantes; forma enim terrae postulat maximam densitatem; at forma ignis raritatem maximam; haec intensum calorem, forma vero aquae, intensum frigus; qui ergo fieri potest ut tales formae integrae et perfectae eamdem partem materiae simul informent?

43. *Elementorum formae perfectissime substantiales*.— Tertio modo intelligi potest haec sententia prout Commentator eam exposuit, nempe, quod omnes formae elementorum sint in tota materia mixti et in omnibus partibus eius, refractae tamen (ut inquit) et in gradu remisso, et deinde tota materia sic affecta et disposita illis formis informetur forma mixti. In qua sententia primo impugnari solet quod Commentator supponit, formas scilicet elementorum non esse perfecte substantiales, sed medias inter accidentales et substantiales. Contra quod argumentatur D. Thomas, I de Gener., text. 84, quia impossibile est dari medium inter substantiam et accidens, tum quia inter contradictoria non datur medium, substantia autem et accidens distinguuntur per immediatam contradictionem, tum etiam quia medium est inter extrema eiusdem generis, substantia autem et accidens sunt diversorum generum. Deinde addere possumus formam substantialem ignis et cuiuscumque elementi esse per se sufficientem ad actuandam materiam, ita ut illam in esse constituat seu conservet, et ad constituendum cum illa unum suppositum quod sit proprie et univoce substantia; ergo talis forma tam proprie et univoce substantialis est sicut quaecumque alia. Et hoc ipsum confirmatum est supra, cum ostenderemus dari formas substantiales.

44. *Formis substantialibus repugnat intensio*.— Quod si fortasse Commentator hoc non neget, sed eas appellet medias solum quia inter substantiales formas habent minimam perfectionem, unde fit ut in aliquibus proprietatibus similitudinem habere possint cum formis accidentalibus, contra hoc, omissa controversia de modo loquendi, ostendo secundo falso eis

attribuere similitudinem cum formis accidentalibus in hac conditione intensionis et remissionis, quia haec conditio ita est propria accidentium seu qualitatum ut directe repugnet formae substantiali quatenus talis est; si ergo formae elementorum sunt vere ac proprie substantiales, ut ostensum est, non possunt esse similes accidentibus in hac conditione. Antecedens probatur primo ex Philosopho, in Praedicament., c. de Substant., dicente substantiam non recipere magis et minus; si autem forma substantialis aquae intenderetur et remitteretur, revera, sicut aqua est magis vel minus frigida, ita esset magis vel minus aqua.

45. Secundo argumentatur D. Thomas, 1, q. 76, a. 4, ad 4, quia esse substantiale cuiuscumque rei in indivisibili consistit, et omnis additio vel subtractio variat speciem, sicut in numeris, ut dicitur VIII Metaph.,text. 10. Haec vero ratio calumniam pati potest, quia simili ratione probaretur qualitatem non posse intendi et remitti, quoniam etiam in accidentalibus formis verum est quod essentiae earum consistunt in indivisibili et quod species earum sint sicut numeri, et consequenter quod quaelibet subtractio et additio variat speciem; intelligendum vero est de additione essentiali et formali, non de intensiva; idem ergo responderi poterit de substantialibus formis. Respondetur tamen esse diversam rationem de forma substantiali et accidentali; nam illa est quae primo constituit essentiam rei simpliciter, et ideo oportet ut sit omnino indivisibilis et invariabilis, quamdiu manet in eadem materia. Quod declaratur a posteriori ex illo effectu ex quo supra colligimus dari formas substantiales, nimirum ex reductione aquae ad pristinam frigiditatem; nam si forma substantialis aquae remissibilis esset, certe remitteretur, remissa frigiditate, quia sicut forma pendet ex dispositione, ita intensio formae ex intensione dispositionis; ergo impossibile esset aquam postea ex intrinseca virtute se reducere ad pristinum statum, quia forma remissa non potest seipsam intendere; neque etiam habet aliud principium prius a quo illa intensio dimanet. Ut ergo aqua, quantumvis calefacta, possit, remotis extrinsecis agentibus, ab intrinseco se restituere in connaturalem statum, necesse est ut in ratione aquae integra et perfecta maneat, et consequenter ut ipsum formale principium constitutivum aquae intactum maneat (ut sic dicam) quamdiu non omnino corrumpitur. Et hoc sensu dicimus de ratione formae substantialis esse ut sit invariabilis et immutabilis in sua entitate, quando essentialiter manet eadem et in eadem materia, quia est radicale principium omnium proprietatum, et primam rei essentiam constituit.

46. Et confirmatur quia ob hanc causam, teste Philosopho, V Phys., et I de Gener., substantialis corruptio aut generatio elementorum non fit successive cum ipsa alteratione, sed in momento in fine alterationis, cum completur dispositio sufficiens, quia, scilicet, forma substantialis non remittitur nec tollitur per partes, sed tota simul; at si esset intensibilis et remissibilis, certe introduceretur successive, et similiter expelleretur; immo, quoties aqua calefit ab igne, tot gradus formae ignis introducerentur in aquam, quot caloris, quod est incredibile. Adde quod si formae elementorum ita possunt intendi et remitti, cur etiam formae mixtorum non intendentur et remittentur ad intensionem et remissionem formarum simplicium? maxime cum hae dicantur ad illas requiri ut dispositiones necessariae. Verbi gratia, si forma auri requirit in sua materia sex gradus formae ignis et duos aquae, ut sit in connaturali statu, si per contrariam actionem illi gradus formae ignis remittantur amplius in auro et intendatur forma aquae, cur non recedet etiam forma auri a sua naturali perfectione et in suamet entitate minuetur? Certe nulla ratio sufficiens reddi potest; nam quod sit perfectior, non satis est; solum enim inde sequitur quod gradus latitudinis eius erunt perfectiores. Dicendum ergo est de ratione formae substantialis esse ut habeat vel constituat essentiam indivisibilem intensive, et ideo hoc aeque convenit formis elementorum ac caeteris.

47. *Elementorum omnium formae nullo modo esse queunt in eadem materia*.— Tertio, principaliter impugnanda est haec sententia ex re quam nunc tractamus, quia impossibile est tot formas substantiales simul esse in eadem materia. Nam, licet dicantur esse remissae, nihilominus unaquaeque, si substantialis est, dat esse simpliciter et constituit veram substantiam ac substantiale suppositum; non potest autem intelligi quod unum suppositum simul sit in quatuor aut quinque speciebus distinctis, et quod sint multa individua

diversarum specierum substantialium ex eadem materia constantium. Quam rationem infra declarabimus latius. Accedit praeterea contra Averroem quod, si formae elementorum in gradibus remissis implentibus latitudinem manent simul in eadem materia, ergo et potentia materiae est per illas sufficienter actuata et mixtio etiam ex illis solis est sufficienter peracta; ergo et superfluum est et impossibile quod nova forma mixta addatur illis omnibus formis.

48. *Mixti forma ab elementorum distincta*.— Unde Aureolus (ut Gregor. supra refert) dixit formam mixti non esse aliquam formam simplicem, sed solam illam commixtionem seu aggregationem ex formis elementorum in esse remisso. Quam vero sit absurda haec sententia, per se notum est; nam ex ea sequitur substantias mixtas non esse veras substantias per se unas. Deinde sequitur animalia, etiam hominem ipsum, non habere unam formam simplicem. Denique sequitur mixta omnia non differre substantialiter et essentialiter, sed tantum secundum magis et minus, neque habere proprietates vel actiones perfectioris rationis quam sint qualitates et actiones elementorum. Ipsae ergo proprietates et facultates mixtorum evidenter indicant proprias substantiales formas nobilioris rationis quam sint formae elementorum.

49. Et hinc retorquendo argumentum concluditur formas illas elementorum simul coniunctas in eadem materia et quasi suppositas formae mixti, superfluas esse, etiam si per impossibile alioqui non repugnarent, quia et ad esse materiae et ad esse substantiale compositi, et ad omnem actionem physicam quae de tali composito experimento cognosci potest, sufficit forma mixti cum facultatibus quae ab ea manant et temperamento primarum qualitatum quo materia disponitur. Quod quidem temperamentum, licet non sit aliqua qualitas simplex virtute continens primas, ut putavit Avicenna, sed formaliter componatur ex primis in esse remisso, ut habet vera et communis sententia, quae late tractatur in I de Generat., nihilominus non requirit substantiales formas elementorum formaliter ibi existentes, sed sufficit forma mixti, cui connaturale est tale temperamentum et vim habet et efficaciam conservandi aut recuperandi illud, si extrinseca impedimenta tollantur.

50. Et quoad hoc recte dicuntur elementa manere, quoad formas substantiales, virtualiter in forma substantiali mixti, quoad accidentales vero formaliter, licet non maneant integrae, sed remissae. Quod bene declaravit Scot. In II, dist. 15, quem sequuntur Gabr. ac Gregor., ibi; Aegid., II de Generat., et alii, et immerito impugnatur a Caiet., I, q. 76, a. 4, in fine; non enim repugnat doctrinae D. Thomae; nullibi enim id negavit, quin potius id indicat in sensu a nobis exposito, Opusc. 33. Neque in eo est ulla difficultas, quia non dicitur forma mixti continere formas elementorum in genere causae formalis aut secundum totam perfectionem eminenter contentam, ut videtur Caietanus existimasse, sed solum secundum quamdam participationem et convenientiam, ut declaratum est.

51. Ex his ergo satis concluditur non sequi ex mixtione elementorum quod sint in mixto plures formae substantiales, quia formae elementorum non manent in mixto formaliter, sed virtute tantum, quae est sententia Aristotelis, ut infra ostendam, et communiter recepto, ut patet ex Alexandro, Philopono, Div. Thoma, in I de Gener.; et eodem D. Thoma, I, q. 76, a. 4, ad 4, et q. 5 de Potent., a. 7, et aliis scholasticis, In II, dist. 12, praesertim Capreolo et Gregor., loc. cit.; et Scot., q. 1; Hervaeo, tract. de Pluralit. form., q. 15; Aegid., Quodl. IV, q. 11; Soncin., X Metaph., q. 27, et lib. XII, q. 68. Est autem sermo de formis substantialibus elementorum; nam accidentales formaliter manent, sed id nihil refert ad praesentem quaestionem. Unde philosophi qui negarunt in elementis formas substantiales, consequenter dixerunt elementa manere formaliter in mixto, et hoc modo processit Galen., nam, ut vidimus sect. 1 huius disputationis, ille non agnoscit in elementis formas substantiales, sed tantum primas qualitates. Unde, quod ad rem praesentem attinet, nobis non contradicit, sed potius favet. Vide illum lib. I Methodi, c. 2, et libello de Substant. natural. facult., aliquantulum a principio, et lib. VIII de Placit. Hippocr.

52. *Obiectio*.— Sed obiiciunt nobis Aristotel., qui, I de Generat., c. 10, definit mixtionem quod sit miscibilium alteratorum unio; cum ergo elementa miscentur, non corrumpuntur, sed alterantur tantum; atque ita in toto illo capite saepe repetit Aristot.

miscibilia non corrumpi; quod si alterum interierit, non posse misceri; nam quae non sunt (inquit) in admixtionem non recipiuntur. Secundo idem Aristot., V Metaph., c 3, definit elementum esse id *ex quo aliquid fit, ita ut insit et in quod ultimo fit resolutio*; ergo si elementa non manent in mixto, non sunt elementa, neque etiam mixtum poterit in illa resolvi, quod est falsum et contra experientiam; nam, quando lignum comburitur, experimur et fumum, et aqueum humorem, et cineres, et ignem ex illo prodire. Nec satis est dicere illa omnia contineri in ligno virtute aut potentia, alioqui etiam aqua diceretur mixta, saltem ex aere et aqua, tum quia in se habet qualitatem quamdam aeris, tum etiam quia quando aqua calefit, exhalatur ex illa aereus vapor. Et confirmatur; nam ex continentia virtuali solum sequitur posse ex mixto elementa generari; at hoc non satis est, nam etiam potest mixtum ex quolibet elemento generari, et unum elementum ex alio. Unde Aristotel., III de Caelo, c. 3, ait in ligno et carne elementa contineri, quia ab illis manifeste segregantur; e contra vero carnem et lignum non contineri in igne, quia ab eo segregari non possunt. Aliud est ergo segregari, aliud generari; ergo segregatio requirit formalem continentiam. Tertio, ait Aristoteles, I de Caelo, c. 7, moveri mixtum motu elementi praedominantis; ergo manet in illo. Quarto, lib III de Caelo, text. 67, et II de Partib. anim., c. 1, et IV Meteor., c. 12, ait elementa esse materiam mixti.

53. *Aristotelis sententia, tantum virtute manent elementa in mixto.— Elucidatur definitio mixtionis*.— Respondetur Aristot., III de Caelo, c. 3, sub disiunctione asserere elementum inesse potentia aut actu in mixto; hoc enim, inquit, utro modo se habeat, adhuc ambigitur; quaestionem autem quam illo loco indecisam reliquit resolvit I de Generat., c. 10, dum expresse ait ea quae in mixtionem recipiuntur quodammodo esse et quodammodo non esse; nam actu (inquit) non sunt, virtute autem seu potestate remanent, et in eo constituit differentiam inter mixtionem et alias mutationes; et II de Partibus animalium, c. 1, primam compositionem corporum dicit eam *esse quae ex primordiis conficitur iis, quae nonnulli elementa appellant; terram dico, aquam, aerem et ignem, sed melius fortasse dici potest ex virtutibus*[4] *confici elementorum; humiditas enim, et siccitas, caliditas, et frigiditas, materia sunt corporum compositorum*. Igitur de sententia Arist. satis constat. Cum ergo Arist. ait mixtionem esse miscibilium alteratorum unionem, alteratorum dixit potius quam corruptorum ut denotaret non omnino perire, sed virtute et secundum qualitates manere. Neque Aristoteles in eo capite negavit in vera mixtione miscibilia corrumpi; nec id negare potuit, nam cum per mixtionem introducatur nova forma substantialis mixti, necesse est fieri corruptionem substantialem miscibilium, quia generatio, unius semper est corruptio alterius. Dixit tamen non omnino perire, quia virtute manent.

54. *Elementi descriptio explicatur*.— Ad secundum responderi potest, primo, definitionem illam elementi non convenire his simplicibus corporibus quae communiter elementa dicuntur, sed primis principiis ex quibus res naturalis componitur. Cui sententiae favet Averroes, V Metaph., com. 4, dicens materiam primam esse proprie elementum, corpora vero simplicia nonnisi hominum opinione, nam quia antiqui philosophi non cognoverunt aliam materiam, nisi haec simplicia corpora, ideo illa appellarunt elementa. Atque ita Aristoteles, II lib. de Partib. animal., c. 1, non vocat absolute elementa, sed quae nonnulli elementa appellant; et eodem modo loquitur II de Generat., c. 1, et aliis locis.
Et potest hoc confirmari ex illa particula definitionis elementi, scilicet, *esse id ex quo primo aliquid componitur*. At haec corpora non sunt ex quibus primo aliquid componitur, cum ipsa sint ex aliis prioribus composita. Item Aristoteles, ibidem, ait elementum debere esse quid indivisibile; haec autem corpora non sunt indivisibilia, ut constat. Et iuxta hanc sententiam facile respondetur ad argumentum non esse inconveniens illam particulam definitionis elementi, scilicet quod insit, non proprie convenire his corporibus, quia non sunt proprie elementa. Secundo, ne in voce tantum haerere videamur, admittimus his corporibus proprie convenire nomen et definitionem elementi; immo D. Thom., V Metaph., lect. 4, vult illa

[4] virtutibus, *ed. Vivès*; virtutis, 1960. Cf. BHF, t. IV, p. 764. “Error en el genitivo” (Castellote).

proprius esse elementa quam materiam vel formam. Nam vult de ratione elementi esse ut sit directe et proprie in aliqua specie. Quod tamen non video cur ad proprietatem illius vocis pertineat et non sufficiat elementum esse in sua specie partiale vel incompletum quid. Itaque elementum latine idem videtur esse quod principium alicuius rei, quod in suo ordine est primum in compositione et ultimum in resolutione, et ideo etiam de ratione elementi est quod sit indivisibile, non simpliciter et omni modo, sed in suo ordine et latitudine. Et similiter de ratione elementi est ut insit non semper formaliter, nec semper virtute tantum, sed modo accommodato suae compositioni. Sic igitur quatuor elementa vere participant rationem elementi, quia in eo genere compositionis quo unum corpus potest ex multis corporibus conflari, illa sunt prima, quia non constant ex aliis corporibus, et ex illis constant reliqua. Et similiter sunt simplicia et indivisibilia, quia non sunt in plura corpora resolubilia. Denique etiam insunt eo modo qui necessarius est ad illud genus compositionis quae fit per mixtionem. Et ita Aristoteles, III de Caelo, c. 3, expresse ponit sub disiunctione in descriptione elementi, quod insit potentia aut actu.

55. *Elementi nomen proprie convenit materiae primae*.— *Nonnunquam formae tributum*.— Unde non obstat quod materia prima sit prior his corporibus et formaliter insit seu maneat in suo composito; nam inde solum fit materiam etiam vere ac proprie dici posse elementum, alia tamen ratione et fortasse priori, quatenus materia est prior in compositione et simplicior, ut notavit D. Thomas, III de Caelo, lect. 8, ubi retractare videtur sententiam quam in V Metaph. tenuerat, ut notavit Soncin., V Metaph., post q. 9, circa text. 4 Aristot., qui etiam lib. XII, q. 27, ad 1, addit formam posse dici elementum, et ita eam nominat Aristot., lib. XII Metaph., c. 4; et D. Thom., cit. loco. Nam, licet nomen elementi praecipue videatur tribui principio materiali, ut patet ex communi usu et ex proprietate illius particulae definitionis ex quo fit aliquid, tamen, latius loquendo, ad quamcumque partem extenditur, sicut etiam dicitur totum componi ex suis partibus, tam formali quam materiali. Immo hac ratione partes quaelibet, si absolute sub communi ratione partium considerentur, dicuntur habere rationem materiae respectu totius. Hac ergo ratione, quaelibet pars, si in suo ordine sit prima et indivisibilis, elementum dici potest.

56. Ex quo sequitur, ut ad aliam partem argumenti respondeamus, non esse de ratione elementi ut compositum seu mixtum in illud ita resolvi possit ut reipsa elementum sit conservabile separatum ab elementato; hoc enim modo non potest omne compositum naturale resolvi in materiam et formam. Et pari ratione, non est necesse quod mixtum sit resolubile in eadem numero elementa ex quibus fortasse mixtum fuit, sed satis est quod in similia resolvatur; quod interdum accidet, si causae efficientes sint accommodatae et propinquae ad eam resolutionem faciendam; saepe vero non ita fit, sed mixtum totum convertitur in aliquod elementum, praesertim in terram. Quocirca, licet vera esset experientia, quae in argumento affertur, nihil concluderet, quia non est necesse ea quae videntur ex ligno fieri, cum comburitur, in eo formaliter praecessisse, sed virtute secundum aliquam minus remotam dispositionem, ratione cuius illa omnia de novo generantur; re tamen vera illa non sunt elementa, sed mixta imperfecta, quia nec fumus est aer nec cinis terra.

57. *In mixtis corporibus imbibita interdum minora corpuscula*.— Adde etiam in his corporibus mixtis saepe esse plures substantias accidentaliter permixtas per poros vel per divisionem et interpositionem partium, quae substantiae postea per actionem alicuius agentis non tam generantur de novo quam secernuntur, ut fit in concoctione vini et in corruptione sanguinis extra venas, et fortasse ita etiam accidit in illa actione ignis in lignum, quamvis accidere etiam possit ut non eaedem substantiae quae ibi erant, secernantur, sed aliae quae ex illis facile generantur iuxta diversas earum dispositiones. Haec autem substantiarum permixtio non refert ad rem de qua agimus, quia, licet ibi sint plures formae, sunt tamen in diversis materiis et diversa composita conficiunt, quamvis localiter coniuncta.

58. *Qualiter mixtum moveatur ab elemento praedominante*.— Nec denique hinc sequitur quod in eo argumento inferebatur, unum elementum resolvi in aliud aut constare ex alio; nam, licet aqua conveniat cum aere in humiditate, non tamen habet illam participatam

ab aere, sed ex se et ex sua simplici natura. Cum vero per calefactionem vapor humidus exhalatur ab aqua, non resolvitur aqua in aerem; nam ille vapor non est aer, sed quodam mixtum imperfectum; quando vero contingit aquam transmutari in aerem, non est resolutio in miscibilia, sed quaedam generatio et corruptio. Unde longe aliter sunt elementa in mixto quam unum elementum in alio; nam hoc est verum solum in potentia passiva; illud vero non tantum hoc modo, sed etiam virtute et participatione quadam potentiae activae; hoc enim modo intelligendus est Aristoteles cum ait elementa esse in mixto actu vel potentia. Et hinc etiam patet solutio ad tertium testimonium. Nam, ut mixtum moveatur motu elementi praedominantis, satis est quod in virtute illud contineat plusque de qualitatibus eius participet quam alterius. Denique elementa dicuntur materia mixti transiens formaliter, virtute autem manens. Unde idem Aristoteles, II de Generat., c. 5, negat elementa esse materiam rerum naturalium. Nam si aer (inquit) remaneret, non generatio, sed alteratio foret. Constat igitur, propter dispositionem unius formae ad aliam, non contingere unquam plures substantiales formas in eadem materia coniungi.

*An duae formae non subordinatae possint simul eamdem materiam informare*

59. *Potest divinitus materia informari duabus formis*.— Supererat dicendum de tertio modo fingendi duas formas substantiales in eadem materia sine ulla habitudine inter se aut respectu alicuius tertiae formae ad quam disponant, sed per solam concomitantiam accidentalem, ut se habent albedo et dulcedo in eodem subiecto. Sed in hoc modo impugnando immorari non est necesse; primo, quia nullam invenio in hac re opinionem; nullus enim philosophus (quod ego sciam) hactenus dixit posse hoc modo et naturaliter duas formas substantiales simul informare eamdem materiam. Dico autem naturaliter, quia de potentia absoluta non existimo implicare contradictionem, sive illa materia in diversis locis cum diversis formis ponatur, quod fieri posse alibi ostendi5; sive in eodem loco utramque formam habeat; unitas enim loci non addit specialem repugnantiam. Secundo, quia ex illis formis simul existentibus in eadem materia, revera non componeretur una essentia neque una substantia, quia neque una forma esset de essentia compositi ex materia et alia forma, neque e converso. Unde, si fingamus unam esse formam auri et aliam ligni, neque lignum esset aurum neque aurum lignum, quia formae essentialiter diversae non praedicantur de se invicem, etiam in concreto, nisi ratione eiusdem suppositi in quo conveniant; illae autem formae non convenirent in eodem supposito, sed tantum in eadem materia, cum qua sicut diversas naturas, ita et diversa composita conficerent; seclusa alia miracula. Unde, licet materia posset dici informata forma ligni et auri, tamen lignum non esset aurum, quia lignum non est materia, neque aurum est materia. Atque ita, etiam admisso illo casu, non darentur duae causae formales unius effectus, quod nos nunc inquirimus, sed unaquaeque constitueret suum effectum, qui tantum haberet unam causam formalem.

60. *Cur naturaliter non possit eadem materia pluribus substantialibus formis actuari simul*.— Hinc tamen intelligitur naturalis repugnantia ob quam tales formae non possunt simul informare talem materiam; quod enim una et eadem materia successive componat essentias etiam specie distinctas cum multis formis, non est inconveniens, immo naturaliter accidit, quia ipsa est indifferens ad quamcumque formam et per quamcumque actuari potest. Quod vero eadem portio materiae simul componat diversas essentias cum diversis formis, multis de causis repugnat naturis rerum. Primo, quia potentia materiae sufficienter est actuata per unam formam et dependentia eius sufficienter est terminata. Secundo, quia formae diversae requirunt dispositiones naturaliter incompatibiles, quod est signum etiam effectus naturales earum esse naturaliter incompatibiles. Tertio, quia materia deservit formae ad suos naturales motus et actiones; non potest autem eadem materia simul ministrare formis distinctis, quae naturales habent inclinationes diversas. Quarto, quia alias, si materia hoc modo posset esse sub distinctis formis, eadem ratione posset esse sub quacumque multitudine earum in infinitum, quia quae sunt per accidens in infinitum multiplicari possunt;

---

[5] III tom., III p., disp. XLVIII, sect. 3.

nec potest maior repugnantia in tribus quam in duobus assignari, et sic de quocumque numero. Hoc autem et per se est valde absurdum, et repugnat fini et institutioni materiae, sic enim esset inepta ad rerum generationes et corruptiones. Unde hoc ipsum, quod generatio unius naturaliter est corruptio alterius, satis declarat materiam esse naturaliter incapacem plurium formarum.

*Vera sententia et totius quaestionis conclusio*

61. Relinquitur ergo verissimam esse sententiam asserentem unius substantiae compositae tantum esse unicam causam formalem et in uno composito naturali unicam tantum esse formam substantialem. Quam tenet D. Thomas, I, q. 76, a. 4; et ibi Caietan. et omnes thomistae; latissime Capreol., In II, dist. 15; et Ferrar., II cont. Gent., c. 58; Soncin., VIII Metaph., q. 7. Item habet Gregor., In II, dist. 17, q. 2; Aegid., II de Anim., q. 6, et tract. de Pluralitate formarum; Herv. etiam late tractat de Pluralit. formar.; Marsil., I de Gener., q. 6. Ex Aristotele autem nihil de hac re expresse habemus; at vero ex principiis eius clare colligitur haec sententia; nunquam enim tribuit naturali composito nisi unam formam, et hoc sensu assignat tria principia rei naturalis, materiam scilicet, privationem et formam; hac enim ratione ait quoties generatur unum corrumpi aliud et e contrario; ait praeterea formam substantialem esse proprium, per se ac immediatum actum materiae, ideoque ex illis maxime fieri per se unum, ut sumitur ex II de Anim., text. 7, et VII Metaph., text. 49.

62. Rationes autem facile sumi possunt ex dictis in impugnatione aliarum opinionum. Prima sumitur ex sufficienti partium enumeratione, quia in materia non possunt esse plures formae essentialiter subordinatae ut actus et potentia, neque ordinatae ut dispositio et forma, neque etiam omnino per concomitantiam sine ullo ordine inter se; sed praeter hos modos non potest excogitari alius; ergo nullo modo possunt plures causae formales substantiales ad eumdem effectum concurrere.

63. Secunda ratio sumitur ex sufficientia cuiusvis formae substantialis; nam quaelibet forma substantialis necessario talis est ut per se sola sufficiat ad constituendum unum substantiale suppositum completum in aliqua ultima specie substantiae; ergo non solum non requirit aliam formam concausantem illum effectum, verum etiam neque illam admittere potest. Antecedens constat ex dictis; nam probatum est omnem formam substantialem necessario debere esse constitutam in aliqua specie ultima substantialis formae, et consequenter esse de ratione eius quod det esse simpliciter et completum usque ad rationem ultimam in genere substantiae. Consequentia vero probatur, quia vel secunda forma adveniret composito ut constituto priori forma et immediate illud actuando, aut adveniret simul et quasi concomitanter ipsi materiae. Primum repugnat rationi formae substantialis, quae per se respicit potentiam substantialem; substantia autem completa non est iam in potentia substantiali, sed accidentali tantum; nam de illa maxime verum est quod Aristoteles supra dixit, scilicet id quod advenit enti in actu non advenire per se, sed per accidens. Secundum autem repugnat tam ipsis formis substantialibus quam capacitati materiae; illae enim secundum suas differentias specificas inter se repugnant; nam, hoc ipso quod unaquaeque substantialis forma constituit substantialem naturam completam, ita determinat sibi materiam quam informat et quasi trahit illam ad suum esse ut non admittat in illa formam aliam substantialem, seu eiusdem ordinis. Materia item habet limitatam capacitatem et quasi vim causandi, ut simul non possit unam substantialem formam sustinere, nec concurrere nisi ad unam essentiam componendam, quod etiam in materia caelesti videre licet; estque id non minus necessarium in hac inferiori materia, quae principium est corruptionis, quatenus ita subiacet uni formae ut eam necessario deserat, si aliam recipiat.

64. Tertia ratio principalis confici potest ex his quae supra diximus ad probandum dari in rebus naturalibus substantiales formas; potissimae enim rationes quibus ostenditur substantialis forma in hoc nituntur quod ad perfectam constitutionem naturalis entis necessarium est facultates omnes et operationes eiusdem entis in uno essentiali principio radicari, quam connexionem et radicationem ostendunt etiam ipsi naturales effectus, ut ibi deduximus; ergo pluralitas formarum est omnino aliena a constitutione naturae. Neque est in

tota natura aliquod indicium ad eam asserendam; nam subordinatio praedicatorum essentialium nullum est indicium, ut diximus; ideoque dixit Aristot., II de Anim., text. 31, posteriorem formam continere priores, quia quae dat differentiam ultimam, dat etiam superiores. Multitudo etiam actionum, facultatum aut organorum, non solum non est indicium, verum potius requirit maxime formae unitatem. Vicissitudo denique seu successio generationis et corruptionis eamdem unitatem indicat et requirit; ergo nihil est quod dubitemus unam causam formalem ad unumquemque effectum naturalem sufficere. Neque contra hanc veritatem novae obiectiones occurrunt, quibus satisfacere necesse sit.

*Non dari processum in infinitum in causis formalibus ex dictis concluditur*

65. Atque ex his obiter resolvitur illa quaestio quae de causa formali moveri solet, an, scilicet, in huiusmodi genere causae possit dari processus in infinitum. Nam, loquendo de propria causa formali physica, constat ex dictis nullum dari locum huic quaestioni; id enim solum potest quaeri quando plures causae ad eumdem effectum concurrere possunt; nam ubi est unica causa, quis processus esse potest? Ostensum autem est causam formalem non posse esse nisi unicam; ergo in hac causa non habet locum quaestio de processu in infinitum. Deinde, hic processus esse solet aut inter causas per se et essentialiter subordinatas aut inter subordinatas per accidens; ostensum autem est nullas substantiales formas esse per se subordinatas. Unde, qui illas distinguunt iuxta ordinem praedicatorum essentialium, nonnihil difficultatis in hoc pati possunt; nam fortasse in his praedicatis non repugnat dari processum in infinitum, ut attingemus sectione sequenti; iuxta nostram vero sententiam id nihil refert, quia existimamus haec praedicata, in quocumque numero multiplicentur, non solum non requirere formas distinctas per se subordinatas, verum etiam non posse talia praedicata respectu eiusdem compositi sumi nisi ab una et eadem forma, ita ut non solum ex natura rei, sed etiam de potentia absoluta non possint dari causae formales hoc modo per se subordinatae, quia non potest dari substantialis forma quae non sit in aliqua ultima specie talis formae constituta, et consequenter quae non essentialiter includat omnes superiores gradus talium formarum. Neque refert quod Aristoteles, II Metaph., c. 2, ex eo probet non dari processum in infinitum in his formis, quod non detur processus in infinitum in praedicatis quidditativis, quia, licet ex illa negatione optime inferatur haec negando, non tamen ex opposita affirmatione opposita affirmatio, ut supra dictum est. Rursus, neque in hoc genere dantur causae per accidens subordinatae, quia etiam est ostensum non posse plures formas simul concurrere, etiam omnino per accidens, ad informandam eamdem materiam. Quod si quis dicat posse dari processum in infinitum in formis sub eodem, genere vel specie contentis, et eas vocet causas formales per accidens subordinatas, advertat necesse est illas non esse causas unius et eiusdem effectus, sed unamquamque suum habere distinctum effectum; cum autem investigatur subordinatio causarum, respectu unius et eiusdem effectus intelligenda est, alioqui non est subordinando, sed multiplicando rerum seu effectuum. Unde etiamsi per potentiam Dei absolutam in eadem materia multiplicarentur per accidens formae, non esset ibi subordinatio causarum, quia, ut supra dixi; non constituerent unum et eumdem effectum, sed diversos, et praeterea nullum haberent inter se ordinem, sed omnino per accidens multiplicarentur. In hoc ergo genere causae nullus est processus causarum, neque in infinitum neque in aliquo numero finito. Processus in infinitum a materiali causa excluditur

66. Ex quo tandem intelligitur multo minus esse posse processum in infinitum in materia, quia si esset, solum ex infinitate formarum oriri posset; nam, ut supra demonstratum est, necessario danda est una prima materia quae non sit in alio subiecto; haec autem prima materia in unoquoque composito non potest esse nisi una, quia non potest una materia recipi in illa, cum hoc sit contra rationem materiae primae; neque etiam possunt plures materiae coniungi in eodem composito et informari eadem forma, nisi una earum alteri uniatur, ita ut ex utraque fiat una potentia, quod intelligi nullo modo potest; ergo in substantialibus materiis non solum non potest esse processus in infinitum, sed nec omnino ullus processus aut pluralitas ulla esse potest.

67. Quod si non sit sermo de materia prima, sed de proxima, aut intelligitur proxima substantialiter et tamquam potentia immediate ac per se recipiens formam, aut intelligitur proxima accidentaliter, id est, ut affecta dispositionibus accommodatis ad formam. Priori modo revera solum materia prima per suam simplicem entitatem est etiam materia proxima ad quamcumque formam, et ita nullus est processus; solumque fingi posset, si inter primam materiam et ultimam substantialem formam intervenirent aliquae formae substantiales, quarum una compararetur ad aliam ut potentia proxima ad suum actum; hae autem formae non dantur, ut ostensum est, et quamvis darentur, non esset intelligibilis in eis infinitus progressus, tum quia infinita multitudo formarum non minus repugnat quam infinita multitudo in actu quorumvis entium; tum etiam quia necesse est dari aliquam formam primam, id est, primo informantem materiam; nam, cum materia ex se sit immediata potentia, necesse est ut immediate informetur per aliquam determinatam formam, alias nunquam inciperet informatio. Rursus ex parte alterius extremi necessarium est etiam dari ultimam formam; alias nunquam finiretur informatio neque res esset constituta in certa aliqua et determinata specie; ergo inter illa duo extrema non posset intercedere infinita multitudo formarum, quia unicuique necessario debet esse aliqua inmediata quae comparetur ut proxima potentia et actus. Omitto alias rationes quas Aristoteles facit citato loco, quia res est clarior quam ut probatione indigeat.

68. Quod si loquamur de materia proxima ratione dispositionum accidentalium, eaedem rationes probant in illis dispositionibus non posse procedi in infinitum, quia si inter se non sint subordinatae, sed concomitanter se habentes, ut quatuor primae qualitates, in eis non potest dari talis processus, solum quia non possunt simul esse qualitates actu infinitae in multitudine, et multo minus potest finita forma illas postulare; si vero dispositiones sunt inter se subordinatae ut actus et potentia proxima, sicut quantitas et qualitas, procedit ratio facta de formis substantialibus, quod in eis necesse est dare primam et ultimam, alias neque inchoaretur neque consummaretur dispositio; inter illa autem extrema non potest esse multitudo infinita. Neque est simile quod afferri potest de infinitis punctis contentis inter duo extrema, quia puncta solum sunt infinita in potentia, id est, constituentia cum partibus unam finitam quantitatem continuam, formarum autem multitudo esset actu infinita. Item, quia unum punctum non est immediatum alteri, et ita non possunt numerari omnia puncta media inter duo extrema[6]; una autem forma, sive substantialis sive accidentalis, si comparatur ad aliam ut potentia ad actum, necessario debet eam proxime respicere; nullo ergo modo esse potest processus in infinitum inter materiam et formam.

69. Procedunt autem rationes factae de materia permanente, ex qua fit res, ita ut insit illi; Aristoteles autem, dicto loco II Metaph., etiam de causa materiali transeunte loquitur cum negat dari processum in infinitum in causis materialibus, quia si ex aqua generatur terra et ex terra herba, et ex herba quippiam aliud, non proceditur in infinitum, sed fit circulus. Verumtamen, sive hic processus detur sive non, nihil refert ad causalitatem, quia ille processus est mere per accidens, et ideo causalitati nihil obstaret quod in infinitum tenderet. Quod si non tendit, solum est quia non dantur infinitae species rerum generabilium neque processus in infinitum in generationibus talium specierum, sed semper fit circulus et reditus ad eamdem speciem. Quod aliqui putant necessario consequi ex eo quod quaelibet ex his speciebus dicit limitatam perfectionem. Sed hoc nullum argumentum est, quia saltem divina virtute non repugnat species mixtorum in infinitum multiplicari, etiamsi quaelibet species finita sit et de facto semper detur summa et infima species sub illo genere contenta, licet de possibili fieri possit altera, vel perfectior omnibus factis vel imperfectior omnibus. Alii dicunt experientia constare non procedi in infinitum in generatione unius speciei ex alia, sed semper fieri reditum ad eamdem speciem, de qua experientia valde dubito an sit nobis evidens; nam multa virtute caelorum et concursu elementorum generantur fortasse de novo, quae nos latent. Adde D. Thomam, III, q. 10, a. 3, dicere in potentia creaturae contineri infinita. Et loquitur de rebus substantialibus; nam de his dixerat non videre animam Christi

[6] Iavell., I Metaph., q. 6.

infinita in actu. Unde explicando ibi illum locum, diximus posse intelligi tam de infinitis speciebus quam de infinitis individuis. Si ergo in potentia creaturae continentur infinitae species mixtorum, non repugnabit in infinitum procedi in generationibus earum. Et fortasse Aristoteles dicto loco non repugnat; solum enim probat hunc processum non esse necessarium ad rerum causalitatem, quia generatio unius est corruptio alterius, et in hoc facile fit reflexio secundum speciem, licet non fiat secundum individuum. Nihilominus tamen probabilius videtur, naturaliter loquendo, esse statum in generationibus rerum secundum speciem, quia virtutes causarum naturalium finitae sunt et modi seu aspectus et concursus quibus applicantur determinandi sunt et finiti; et ideo, licet in absoluta potentia creaturae contineantur infinita, si in rebus et causis creatis fiant omnes conditiones et mixtiones quae absolute fieri possunt, tamen de facto secundum ordinem universi tantum fieri possunt finitis modis, et ideo etiam verisimilius est in hoc processu dari statum ac terminum.

## *SECTIO XI*

## *QUID SIT FORMA METAPHYSICA, ET QUAE MATERIA ILLI RESPONDEAT, QUAMQUE CAUSALITATEM HABEAT*

1. *In quavis compositione aliquid ut materia, et aliquid ut forma*.— Quoniam distinctio formae in physicam et metaphysicam valde communis est, et quae hactenus diximus omnia in physicam formam conveniunt, videtur metaphysici negotii esse nonnulla etiam de metaphysica forma dicere, quae, suppositis quae diximus, breviter poterunt expediri, quia haec solum per analogiam et quasi metaphoram quamdam forma nominatur. Est igitur advertendum ex dictis in superioribus, praeter compositionem physicam ex materia et forma, esse aliam quae illam imitatur; ex se tamen abstrahit a vera materia, et ideo metaphysica nominatur. Est autem haec duplex, quantum ad praesens spectat, altera ex natura et supposito, altera ex genere et differentia; omitto eam quae est ex esse et essentia, quia obscurior est et, quantum ad praesens attinet, non intervenit in ea specialis aliqua ratio formae, ut ex dicendis constabit. Deinde est considerandum in omni compositione, ut ex multis unum consurgere intelligatur, aliquid semper considerari ut materiam et aliquid ut formam, tum quia compositio ex materia et forma est prima compositio realis et maxime propria ac per se, et ideo per quamdam analogiam ad illam omnis alia compositio declaratur; tum etiam quia materia est quid informe et imperfectum et inchoatio quaedam et quasi fundamentum naturae; forma vero est quasi pulchritudo et perfectio ac consummatio naturae; in omni autem compositione est aliquid quasi potentiale, quod est fundamentum et inchoatio rei, et aliquid quod est terminus vel consummatio rei, et ideo semper aliquid consideratur ut materia et aliquid ut forma. Quod adeo verum est ut etiam in compositione ex partibus integrantibus, quae maxime materialis esse videtur, semper una pars consideretur ut materia et altera ut forma, quod clarius apparebit in rebus heterogeneis, ut in homine caput est veluti forma aliarum partium; et in artificialibus tectum, verbi gratia, est quasi forma aedificii; iuxta quam analogiam distinguunt etiam theologi materias et formas sacramentorum. Et in rebus homogeneis, ubi inter partes non potest distingui illa diversa habitudo propter earum similitudinem et uniformitatem, omnes partes dicuntur esse materia totius, compositum autem comparari ut forma ad singulas partes. In quibus omnibus non intercedit specialis causalitas, sed sola unio cum analogia et proportione ad materiam et formam.

2. Ex his ergo intelligitur formam metaphysicam in genere vocari quae in compositione metaphysica constituit essentialiter rem ipsam, vel complet aut actuat essentiam rei; nec potest aliter describi haec forma ita in communi sumpta. Est autem discrimen inter duas compositiones metaphysicas supra dictas, quod prior, scilicet, ex natura et supposito est compositio rei (in creaturis loquimur), id est, ex iis quae in re ipsa aliquo modo actu distinguuntur, ut sunt natura et subsistentia, de quibus diffuse infra tractabimus; posterior vero est compositio rationis, quia eius extrema in re non distinguuntur actu, sed ratione tantum ut in superioribus visum est. Est etiam alia differentia, quod in priori compositione unum extremum est tota essentia rei, aliud vero non spectat intrinsece ad

essentiam, sed est terminus aut modus essentiae; in alia vero compositione utrumque extremum est essentiale et neutrum dicit totam essentiam rei expliciter seu actualiter, licet confuse totam illam includere possit. Unde fit ut prior dici etiam soleat forma totalis, realis ac propriissime metaphysica; posterior vero magis est forma secundum rationem, et ideo non tantum metaphysica, sed etiam logica appellari potest.

*Formae metaphysicae essentia ostenditur*

3. *Forma metaphysica est tota rei essentia*.— Dicendum est ergo primo formam proprie metaphysicam, quae est forma totius, nihil aliud esse quam totam rei substantialis essentiam, quam etiam integram naturam rei appellamus, quae non dicitur forma eo quod specialiter exerceat propriam causalitatem formae, sed quia rem essentialiter constituit per seipsam. Declaro et probo singula; nam in homine, verbi gratia, haec forma totius dicitur esse humanitas, quae cum ex materia et forma hominis constet, totam essentiam hominis dicit; id enim quod homo addit humanitati non est de essentia hominis, ut infra dicemus tractando de subsistentia et in mysterio Incarnationis breviter patet; nam in Christo est tota essentia hominis, quamvis non sit humana subsistentia creata. Praeterea, haec forma totius non tantum in rebus materialibus, sed etiam in spiritualibus reperitur; immo non solum in rebus creatis, sed etiam in Deo ipso a nobis consideratur; concipimus enim Deitatem ut formam essentialiter constituentem Deum et quodlibet suppositum divinum, quatenus hic Deus est; quamquam sit proprium in re ipsa non distingui ab eo de cuius essentia est; in quo deficit ab ea ratione formae quam essentia habet in rebus creatis, quia illa non pertinet ad perfectionem simpliciter, sed imperfectionem includit; ergo haec forma in rebus immaterialibus nihil aliud esse potest quam earum essentia. In materialibus autem differt haec forma totius a forma physica et partiali, ut constat ex communi usu harum vocum, et ex ipsa distinctione formae physicae a metaphysica; non differt autem nisi quia forma totius dicit totam naturam compositam ex materia et forma, forma autem physica solum dicit partem formalem; ergo haec forma metaphysica etiam in his rebus dicit totam essentiam earum. Quia, ut infra ostendemus in disputatione de substantia materiali, etiam materia est de essentia huius substantiae, et ita natura composita ex materia et forma est tota essentia eius; atque ita patet prima pars conclusionis.

4. *Forma metaphysica naturae nomine insignitur*.— Quod vero haec forma metaphysica soleat naturae nomine propriissime appellari, constat primo ex usu; sic enim tribuimus etiam Deo naturam divinam, intelligentiis angelicam, hominibus humanam, et sic de caeteris rebus. Deinde hoc modo distinguimus naturam a supposito, vel ex natura rei, ut in substantiis creatis, vel ratione tantum, ut in divina; atque hoc modo dicimus naturam in Deo non generare, sed suppositum, et Verbum divinum assumpsisse naturam, non personam humanam. Item, unaquaeque res per suam naturam habet quod talis sit et quod essentialiter distinguatur ab aliis; ergo natura rei substantialis adaequate (ut ita dicam) est ipsa totalis forma qua talis est essentialiter. Denique natura, ut communiter censetur, dicit ordinem ad operationem, in quo solum differt ab essentia quod essentiae nomen sumptum est ex ordine ad esse, nomen autem naturae sumptum est ex ordine ad operationem; natura enim dicta est quasi aliquid nasci faciat; unde dicitur natura non esse otiosa et esse rerum opifex, et nihil facere frustra, etc. Unde etiam theologi dicunt facultates et operationes multiplicari multiplicatis naturis. Primum autem et adaequatum principium principale operationum in unaquaque re est essentia eius; quod in rebus immaterialibus manifestum est; in rebus autem materialibus videtur esse forma principium operandi, quod est principium formale et activum; tamen, quia materia in suo genere aliquo etiam modo concurrit, praesertim ad naturales et intrinsecos motus vel actus, ideo dixi adaequatum principium primum et radicale esse uniuscuiusque rei essentiam; ergo ipsamet essentia et forma totius idem est quod uniuscuiusque rei natura.

5. *Etymologia nominis «natura» et varia significata illius*.— Scio Aristot., V Metaph., c. 4, varias assignare significationes huius nominis *natura* et inter eas ultimo loco ponere eam qua significat rei substantiam vel essentiam, quam dicit esse translationem ab alia significatione qua natura significat formam, quae est terminus generationis. Et in II

Phys., c. 1, rationem naturae ad solum primum principium intrinsecum motus coarctat, et inde solet ens naturale de solis substantiis materialibus dici. Existimo tamen haec esse intelligenda de hac voce *natura* quantum ad eius impositionem, non vero quantum ad rem significatam; haec enim valde distincta esse solent in his nominibus analogis, ut recte notavit D. Thomas, I, q. 13, a. 6. Quantum ergo ad vocis impositionem, verisimile est hanc vocem prius significasse alia quae Aristoteles ibi numerat, ut, verbi gratia, generationem naturalem et praesertim ortum seu nativitatem viventium; dicitur enim natura quasi nascitura, et inde derivari potuit vox ad significanda intrinseca principia rei genitae, scilicet, materiam et formam. Vel, ut D. Thomas ait, I, q. 29, a. 1, ad 4, quia nativitas viventium est a principio intrinseco, ideo derivata est haec vox ad significandum primum principium intrinsecum motus, quod est materia et forma. Et quia per formam completur essentia rei, tandem derivata est illa vox ad significandam rei essentiam. Et quia antiqui philosophi qui disputabant de natura non cognoscebant alias substantias nisi materiales, ideo illis solis tribuebant naturam et inde peculiariter obtinuerunt nomen entium naturalium.

6. At vero, si rem significatam spectemus et de hac voce metaphysice potius quam physice loquamur, haec vox absolute et principaliter significat essentiam simpliciter et integram uniuscuiusque rei, prout per modum formae totalis significatur. Et in rebus immaterialibus simplex est; in materialibus autem est composita ex materia et forma, quia nec materia nec forma est integra rei natura, sed partialis; integra vero rei natura est composita ex utraque; et ideo merito forma totalis metaphysice dicitur. Accidentia vero, sicut non habent essentiam simpliciter, ita nec naturam nisi cum addito, scilicet naturam accidentalem, et proprius dicuntur esse secundum naturam, vel contra aut praeter naturam. Quapropter in accidentibus, ut infra videbitur, non habet proprie locum haec ratio formae totalis de qua nunc agimus (loquor secundum rem, quidquid sit de possibili modo concipiendi nostro); et ratio est quia accidens est forma quasi partialis et physica, unde in se est natura incompleta et adeo imperfecta ut non faciat unum per se, sed per accidens cum suo subiecto; et inde fit ut ex utroque non resultet una integra natura et forma totius, sicut ex materia et forma substantiali.

7. *An forma metaphysica aliquam causalitatem exerceat*.— Ultima denique pars conclusionis facile potest ex omnibus dictis probari, nam imprimis, cum haec forma totius in rebus materialibus includat ipsam materiam primam, non potest propriam causalitatem formalem exercere, quae consistit in actuando aliquo subiecto. Item in rebus immaterialibus, cum tota essentia sit simplex et abstrahens ab omni receptivo, non potest dici forma propter propriam causalitatem formalem. Et, si ex theologia argumentari licet, humanitas Christi est forma metaphysica huius hominis Christi et tamen non est vera forma Verbi divini, habens veram causalitatem in illum, ratione cuius dicatur formaliter constituere hunc hominem. Et extendi potest argumentum ad quamlibet naturam respectu proprii suppositi; nam vel comparatur natura ad subsistentiam ipsam vel ad compositum ex natura et subsistentia. Respectu subsistentiae natura non habet causalitatem formalem, sed potius quasi materialem (omitto activam, de qua postea), quia subsistentia propria non comparatur ad naturam ut subiectum eius, sed ut terminus ipsius. Unde potius subsistentia est aliquo modo actus naturae quam e converso. Item, quia subsistentia est modus naturae, unde afficit et aliqualiter actuat illam; secundum hanc ergo comparationem non exercet natura causalitatem formae. Unde in dicto exemplo de mysterio Incarnationis dicunt theologi humanitatem non solum non comparati ad Verbi ut formam eius, sed potius Verbum se habere ut formam quatenus aliquo modo perficit et actuat humanitatem, quamvis nulla propria ac vera causalitas ibi intercedat.

8. Atque hinc ulterius fit, etiam respectu totius compositi seu suppositi, naturam integram non vocari formam totalem, propter veram ac propriam causalitatem formae; quia nunquam est haec causalitas respectu compositi, nisi primo et immediate exerceatur circa aliquod subiectum, ex quo et forma compositum resultat. Si ergo natura totalis non exercet causalitatem formalem circa aliud extremum huius compositionis, nec circa totum compositum potest illam exercere. Restat igitur ut natura integra dicatur forma solum quia

est tota quidditas, ratio seu essentia intrinsece constituens suppositum in tali genere vel specie. Quae constitutio non est per causalitatem ab ipsamet natura aliquo modo distinctam, sed est per intrinsecam actualitatem et entitatem ipsius naturae totalis. Et propter hoc etiam dicitur haec forma metaphysica et non physica.

9. Unde etiam obiter intelligitur huic formae nullam propriam materiam respondere, quia, ut dictum est, non appellatur forma eo quod informet aliquod subiectum; sed, si generatim loquamur, solum suppositum correspondet huic naturae tamquam essentialiter constitutum per ipsam. In rebus vero materialibus potest natura integra comparari, ut forma totalis, ad partiales naturas ex quibus componitur; nam, licet altera earum sit forma, tamen, quatenus tam materia quam forma est quaedam pars incompleta et ex se imperfecta, potest comparari ut materia ad totam naturam compositam, et haec tamquam quid totum et completum comparatur ad partes tamquam forma; totum enim se habet ut forma respectu partium, teste Aristotele, II Phys., text. 31, quamvis ibi de toto integrali respectu suarum partium potissimum loquatur.

10. *Metaphysicae formae in singulis compositis singulae*.— Tandem intelligitur ex dictis hanc formam tantum esse posse unam respectu eiusdem; patet, quia dicit totam rei naturam; haec autem in una re non potest esse nisi una. Nec refert quod secundum rationem distingui possint in eodem forma totius specifica et generica, ut humanitas, animalitas, etc.; nam si haec sumantur respectu eiusdem, non sunt in re plures formae, sed una et eadem diversimode concepta; et quatenus illa concipitur ut plures secundum rationem, non sumitur respectu unius, sed plurium, etiam secundum rationem; animalitas enim non est forma totalis hominis, sed animalis ut sic; atque ita, servata proportione, forma totius una tantum est respectu eiusdem.

11. *Ocurritur dubitationi*.— Solum potest dubitare aliquis circa conclusionem positam; nam forma totalis, si est forma suppositi, non tantum includit essentialia principia, sed etiam principia individuantia, quae non sunt de essentia rei, quia forma totalis et natura integra Petri non est tantum humanitas, sed haec humanitas; ergo falsum est hanc formam solum includere totam rei essentiam. Deinde sequitur non includi existentiam in hac forma, quia haec etiam non est de essentia. Consequens autem falsum apparet; nam, si non includit existentiam, quomodo realiter constituit? Ad haec vero dicendum est hanc formam sumendam esse cum proportione respectu illius quod per illam constituitur, et sic semper dicit integram et solam naturam et essentiam eius. Nam si comparetur ad speciem communem praecise sumptam, includit tantum principia essentialia specifica, et humanitas dicit formam totalem hominis. Si vero ad determinatum individuum comparetur, sic includit principia essentialia individualia et particularia, quae, licet non sint de essentia rei, absolute loquendo, quia in hac voce includitur quaedam praecisio mentis, sunt tamen de essentia individui ut individuum est, ut supra declaratum est tractando de principio individuationis. Similiter dicendum est de existentia; nam, licet haec non sit absolute de essentia rei creatae seu creabilis, est tamen de essentia eius ut existentis seu ut constitutae in ratione entitatis actualis; et ideo, licet haec forma non includat nisi rei essentiam, tamen, ut eam actualiter constituat, includit existentiam, non tantum ut necessariam conditionem extrinsecam aut concomitantem, sed etiam ut intrinsece constituentem actualem entitatem ipsius naturae, per quam formaliter constituit talem substantiam vel substantiale individuum.

*Quid sit forma logica*

12. Dico secundo: forma metaphysica secundum rationem (quae logica etiam appellatur) praecipue dici solet de differentia essentiali; tamen secundum aliquem respectum attribuitur etiam generi, atque etiam definitioni; unde haec forma non habet propriam causalitatem realem, sed rationis tantum, et proportionalis materia illi correspondet. Tota haec assertio est clarissima et constat ex communi usu loquendi, suppositis quae de re ipsa dicta sunt supra, tractando de universalibus, ubi declaravimus quomodo genus et differentia inter se comparentur et unde sumantur. Ubi inter alia diximus cum Aristotele, VII Metaph., text. 42 et 43, ex genere et differentia consurgere unum per se, quia proxime inter se

comparantur ut potentia et actus eiusdem generis et per se ordinata inter sese, ubi D. Thomas, lect. 12, partic. 5, declarat non comparari genus et differentiam ut potentiam et actum re distincta, sed quia dicunt eamdem essentiam ut determinabilem vel per modum determinationis eius. Ex quo intelligitur differentia imitari formam in ratione actuandi, terminandi ac distinguendi, et ideo illam esse cui primo convenit haec ratio formae metaphysicae; genus autem comparatione eius habere rationem materiae, quia est potentiale quid actuabile et indifferens ad multa, donec per differentiam intelligatur contrahi ac determinari; unde etiam fit ut differentia ex se perfectior sit quam genus, quia id quod intra idem genus se habet ut actus perfectius est quam quod se habet ut potentia. Unde etiam loco supra citato diximus differentiam ex nobiliori principio sumi; in hoc ergo etiam est proportio inter formam et differentiam, quod sicut forma est perfectior materia, ita differentia genere. Rursus, sicut materia et forma reipsa distinguuntur, ita ut neque una sit alia neque intrinsece aliam includat, sic etiam genus et differentia separantur conceptibus, secundum quos ita distinguuntur ut neque in conceptu generis includatur actu differentia, neque in conceptu differentiae, genus; alioqui non esset propria compositio metaphysica, neque compararentur ut proprius actus et potentia, quia de horum ratione est ut non se includant; atque hoc docuit Aristoteles, VII Metaph., ubi supra, lib. III, text. 10, et VI Topicor., c. 3.

13. Quo etiam fit ut, sicut materiae per se ac necessario non convenit ut sit sub hac vel illa determinata forma, ita genus per se ac necessario non requirat determinate aliquam ex differentiis, quamvis aliquam in confuso necessario requirat, sicut materia requirit formam. In hoc autem est advertenda differentia inter materiam et formam ex una parte, et genus et differentiam ex alia, quod, licet materia naturaliter esse non possit sine aliqua forma, absolute tamen non implicat contradictionem ita conservari, et similiter forma interdum potest non pendere a materia etiam naturaliter, et quae ita pendet, potest nihilominus supernaturaliter sine materia conservari; at vero genus et differentia ita per se coniunguntur ut omnino repugnet aut genus sine omnibus differentiis, aut differentiam extra genus quod actuat, subsistere. Et ratio est clara, quia genus et differentia in re non distinguuntur, sed dicunt eamdem essentiam ut determinabilem et determinantem, et ideo mirum non est quod non possint in re dicto modo separari. Item, quia in re non potest esse aliquid quod non habeat determinatam essentiam et consequenter in aliqua propria et ultima specie constitutam, in qua necesse est et communia seu generica praedicata et propria includi; non possunt ergo haec ita praecise et abstracte subsistere, sicut concipiuntur.

14. *Qualiter genus et differentia uniri intelligantur*.— Ex quo ulterius intelligitur aliud discrimen, nimirum inter genus et differentiam non intervenire unionem mediani distinctam ab ipsis, etiam secundum veram rationem concipiendi, sicut inter materiam et formam supra dicebamus intercedere modum unionis in re distinctum ab eis, quia actualis unio inter eas non est de intrinseca ratione earum, immo est separabilis ab ipsis, et ideo necesse est ut inter eas mediet et ab eis distinguatur. At vero genus et differentia ita per se uniuntur (vel potius sunt unum in re, licet distinguantur ratione) ut prorsus sint inseparabilia secundum rem et quodammodo secundum rationem; nam, licet conceptu praecisivo possit differentia intelligi sine genere, tamen non potest concipi negative ut existens sine genere, seu non actuando genus. Et ideo, sicut in modis realibus, qui solum modaliter distinguuntur a rebus quas modificant, dicimus non uniri ipsis rebus per unionem distinctam, sed seipsis, ita multo maiori ratione differentia concipienda est tamquam modus essentialis speciei et per seipsam contrahens et actuans genus absque alia unione media.

15. *Differentia non causat realiter*.— Ultimo ex his intelligitur differentiam, quatenus forma dicitur, non habere propriam causalitatem realem, quia causalitas realis non est nisi inter ea quae in re ipsa distinguuntur, vel saltem necesse est ut intercedat aliquis realis influxus et causalitas distincta ex natura rei ab ipsa causa vel effectu; hic autem nihil horum intervenit, quia nec differentia est in re distincta a specie, nec a genere, prout per illam contrahitur. Neque etiam intervenit ibi aliqua causalitas ab ipsa differentia distincta. Est igitur haec solum constitutio quaedam secundum rationem ac modum concipiendi nostrum, quae solum per analogiam et proportionem ad realem causam forma vel formalis

causalitas appellatur. Idemque de genere intelligendum est, quatenus ei ratio vel causalitas materiae attribuitur. Nec refert quod res ex his constituta saepe sit vera ac realis essentia, ut homo aut equus; nam, licet talis essentia in se realis sit, tamen ut sic composita, non est ens rei, sed rationis, cum compositio ipsa rationis tantum sit.

16. *Qualiter genus de tota specie praedicetur*.— Sed obiiciet aliquis: nam si differentia comparatur ad genus ut forma, et genus ad differentiam ut materia, ergo utraque comparatur ad speciem seu definitum ut pars ad totum; ergo neutra poterit absolute et in recto praedicari de specie, quia pars, licet possit in obliquo aut denominative praedicari de toto, non tamen absolute et in recto; non enim dicimus: *homo est materia, sed habet materiam, vel est materialis*; erunt ergo falsae hae locutiones: *homo est animal*, et similes. Haec obiectio solum proposita est ad declarandam alteram partem conclusionis, qua dicebamus et genus respectu specierum et definitionem respectu definiti solere formam metaphysicam appellari. Communis itaque distinctio est genus (et idem est proportionaliter de differentia) dupliciter posse considerari: aut praecise, ut dicit talem gradum et in eo quasi sistit ex se; atque hoc sensu esse partem, et ut sic etiam non praedicari de toto, quia redderet hunc sensum, hominem, verbi gratia, esse animal praecise, et solitarie, et abstracte sumptum, seu non plus esse quam animal, qui sensus est plane falsus. Et genus sub hac consideratione comparatur ut materia ad differentiam, et e converso differentia ut forma ad genus. Et sic procedunt quae hactenus dicta sunt. Atque in eodem sensu ad obiectionem conceditur totum quod in ea infertur, nimirum genus et differentiam esse partes, et ut sic non praedicari; nec solum partes, sed etiam elementa ab Aristotele appellantur7, praesertim differentiae et genera summa, propter simplicitatem eorum, et quia in ea fit ultima resolutio in metaphysica, ut patet ex II Poster., c. 14. Alio vero modo consideratur genus ut totum, quod potentiale appellant seu confusum, quia confuse dicit totam quidditatem speciei, et hoc modo optime praedicatur de specie seu definito, quia; iam non praedicatur ut pars, sed ut totum; et hic est communis sensus huius locutionis; cum enim dicitur horno est animal, nihil ab homine excluditur, sed affirmatur idem suppositum quod est homo esse etiam animal; seu hominem, eadem forma et essentia qua est homo, esse etiam animal; utrumque autem horum verum est. Genus ergo quatenus praedicari potest de specie, ut quid superius ad ipsam et quasi continens ipsam, dicitur aliquo modo habere rationem formae respectu eius; et e converso inferiora, quatenus superioribus subiiciuntur et ea quodammodo in se sustinent, habent quamdam rationem materiae. Et simili vel maiori ratione comparatur species ut forma ad individua, haec vero ut materia.

17. Atque hoc sensu intelligo Aristotelem, V Metaph., c. 2, cum utramque partem definitionis revocat ad causam formalem; nam, quantum ad genus spectat, id intelligendum puto non formaliter ut pars est, sed ut totum quodam est, ut explicui. At vero tota definitio, quia totam essentiam declarat et propria ratio est ipsius definiti et de illo propriissime praedicatur, ideo forma etiam metaphysica dici potest, quamvis non sit composita. Atque ita facile est omnes similes locutiones explicare, quae solum in analogia quadam et translatione consistunt.

18. *Discrimen inter metaphysicam formam et physicam*.— Solum superest breve dubium expediendum, quod oritur ex notanda differentia inter hanc formam metaphysicam et physicam, quod forma physica substantialis non multiplicatur in eodem composito, ut supra diximus; haec autem forma multiplicari potest; nam et genera eiusdem rei possunt esse plura, et differentiae similiter; immo et definitio, quamvis totam rei essentiam continere et explicare videatur, nihilominus multiplex esse potest, ut constat ex I Poster., c. 7, et lib. II, c. 8 et 12, et II de Anim., c. 7. Ratio autem differentiae facilis est, quia formae physicae realiter distinctae ita comparantur ut quaelibet constituat perfectam et consummatam speciem substantiae, et earum compositio esse deberet realis et physica, et ideo repugnant in eadem substantia proprie ac per se una. At vero haec forma metaphysica, nempe differentia, nec facit realem compositionem nec distinguitur ab alia differentia nisi per mentis

[7] III Metaph., c. 3, et lib. V, c. 5.

praecisionem et abstractionem; potest autem mens nostra eamdem rem variis modis praescindere et abstrahere, et ideo potest in eadem plura praedicata generis et differentiae concipere; quare multitudo differentiarum essentialium non obstat unitati et compositioni per se ex genere et differentia.

*Deturne processus in infinitum in praedicatis essentialibus*

19. Ex hoc vero discrimine oritur statim difficultas; nam sequitur dari posse processum in infinitum in his causis formalibus ac materialibus metaphysicis, hoc est, in praedicatis quidditativis. Consequens autem est contra Aristot., II Metaph., c. 1, ubi notius existimavit non posse dari processum in infinitum in partibus definitionis, quae sunt genus et differentia, quam in formis ipsis; et ideo ex negatione infinitorum praedicatorum probat negationem infinitarum formarum. Sequela autem probatur, quia non magis repugnat dari duas differentias in una re quam tres vel quatuor, et ita de quolibet numero; ergo potest in hoc numero in infinitum procedi. Praesertim quia hic numerus praedicatorum non consurgit ex rebus aut modis distinctis qui sint a parte rei in una et eadem substantia, sed ex conceptibus nostris cum aliquo fundamento in re; sed nos possumus infinitis modis praescindere et abstrahere, et in rebus est fundamentum ut id a nobis fiat propter varias convenientias et dissimilitudines quas una res habet cum aliis, in quibus convenientiis hae abstractiones fundantur. Et maxime urget difficultas, si una species non tantum comparetur ad alias species factas, sed ad omnes possibiles, quae in infinitum et infinitis modis multiplicari possunt.

20. *Aliquot rationes quae pro conclusione afferri solent, inefficacia redarguuntur*.— Nihilominus absolute dicendum est cum Aristotele, etiam in his causis formalibus non dari processum in infinitum. Ita docent omnes interpretes, qui varias afferunt rationes. Prima est, quia alias res constituta esset infinite perfecta, quia quodlibet praedicatum addit aliquam perfectionem. Sed forte negabitur consequentia, quia una finita perfectio potest esse fundamentum infinitorum conceptuum, qui, licet dicant perfectiones ratione distinctas, non augent in re perfectionem. Secunda ratio est, quia si hae differentiae sunt infinitae, etiam proprietates quae ad illas consequuntur erunt infinitae. Sed respondebitur ex differentia generica et specifica non semper consequi proprietates re distinctas, ut patet in his praedicatis: *substantia, spiritualis, Gabrielis*, etc.; sed satis esse ut ipsae etiam proprietates secundum universales vel speciales rationes proportionate correspondeant, ut in superioribus etiam tactum est.

21. *Vera ratio conclusionis*.— Tertia ratio et maxime probabilis est quia necesse est dari supremum genus quod sit quasi prima materia huius compositionis et differentia specifica et infima quae sit quasi ultima forma; ergo etiam formae intermediae necessario sunt in numero finito et determinato. Maior probatur ab Aristotele quia in his praedicatis quidditativis semper unum est prius alio, id est, universalius et ad plura se extendens; sed non est prius nisi quia magis accedit ad id quod est primum; ergo necesse est dari etiam supremum aliquod genus. Deinde id patet experientia, discurrendo per omnia praedicamenta, et praecipue in substantia, quae, ut immediate significat substantiam completam, est supremum genus; nullum enim potest universalius respectu substantiarum cogitari; suppono autem ens non esse genus, quamquam licet esset genus, nihil obstaret, nam illud esset supremum; et ita habemus quod intendimus. Atque ita etiam nil impediet, si quis contendat hanc resolutionem debere fieri usque ad praedicata transcendentia, quia, quamvis id esset verum, sisteretur in aliquo ultimo. Et ratio est quia in omnibus rebus vel substantiis datur aliqua prima seu minima convenientia essentialis, secundum quam abstrahi potest vel praedicatum transcendens vel supremum genus. Minor autem probatur ex ipsa constitutione speciei ultimae, quia non potest esse ulla res quae non sit in aliqua ultima specie constituta; alias non haberet determinatam essentiam, nec diversam ab aliis determinatis speciebus; ultima autem species per aliquam differentiam ultimam constitui debet. Nec disputo nunc an haec differentia ultima sit simplex an coalescens ex multis, quarum singulae communes sint, ut significasse videtur Porphyrius, in c. de Differentia; et non parum favet Aristoteles, I

Topic., c. 3, et lib. VI Topic., c. 3 et 4, et lib. II Poster., c. 14; hoc enim ad praesens nihil refert, quia sistendum necessario est in differentiis quae per alias non actuantur, licet fortasse duae vel tres ex his ad constituendam ultimam speciem conveniant; nunc enim solum de differentiis subordinatis procedit ratio facta. Prima autem consequentia videtur per se nota, quia inter extrema primum et ultimum non possunt dari infinita media, sicut supra de formis diximus; ratio enim ibi facta aeque hic procedit.

22. *Obiectiones contra praedictam rationem*.— Sed haec ratio duobus modis enervari potest; primo dicendo quod, licet praedicata per se subordinata in una linea per modum actus et potentiae, finita sint, nihilominus non subordinata seu in diversis lineis possunt in infinitum multiplicari, ut si quis diceret dari plura genera suprema; vel ad constitutionem ultimae speciei convenire plures differentias inter se non subordinatas, et has posse in infinitum multiplicari; vel unum et idem genus, sive proximum sive remotum, posse simul contrahi pluribus differentiis, quae non omnino inter se repugnent nec sint inter se subordinatae; ut, verbi gratia, animal iuxta antiquos philosophos contrahitur per rationale et per mortale, quae in homine conveniunt, in aliis separantur; et substantia posset immediate dividi per vivens et per corporeum, quae in aliquibus substantiis conveniunt, in aliis separantur. Ex quo etiam consequi videtur ut inter ipsas differentias sit quidam. circulus, et vicissim et mutuo comparentur ut potentia et actus; nam si substantia immediate dividatur in viventem et non viventem, rursus substantia vivens dividi poterit in incorpoream et corpoream; si autem e contrario substantia dividatur in corpoream et incorpoream, corporea dividetur in viventem et non viventem. Quod si hoc non est inconveniens, quia sunt reflexiones intellectus, propter eamdem causam non erit absurda multiplicatio illa praedicatorum in infinitum. Altera evasio esse potest, quia, licet detur supremum genus et infima differentia, non repugnat inter ea posse per intellectum praescindi aut distingui plura praedicata intermedia in infinitum, sicut inter extrema puncta lineae dantur infinitae partes vel puncta; nam, sicut haec sunt infinita in potentia, ita illa praedicata, prout in re sunt, dici possunt esse plura tantum in potentia, quia in re non sunt actu multa, nisi per intellectum distinguantur; et ideo, licet intellectus possit plura et plura in infinitum distinguere, non sequitur in re esse infinita nisi in potentia. Ex quo etiam fit ut ea praedicata quae nos actu distinguimus semper sint finita, tum quia nos non possumus nisi finitos conceptus de rebus formare, tum etiam quia omnes convenientiae et differentiae cuiuslibet speciei ad alias quae factae sunt, in certo ac determinato sunt numero, etiamsi respectu rerum possibilium possint fortasse in infinitum multiplicari. Atque ita posset quis interpretari Aristotelem de differentiis seu praedicatis essentialibus, quae de facto abstrahuntur seu abstrahi possunt per discursum vel cognitionem humanam.

23. *Solvuntur*.— *Aristotelis dictum explicatur*.— Sed nihilominus existimo rationem factam esse efficacem et simpliciter fieri non posse ut praedicata in infinitum multiplicentur. Et imprimis sumo respectu cuiuslibet rei dari tantum unum genus vel praedicatum supremum et unam differentiam ultimam. Et prior quidem pars satis probata est et ratione et usu seu experientia; de posteriori vero ab aliquibus dubitatum est, mihi tamen aeque certa videtur. Primo quidem, quia differentia sumitur a forma; omnis autem forma specie diversa ab alia habet aliquem gradum essentialem sibi proprium et non communem aliis; ergo ab illo sumi potest differentia omnino propria et nulli alteri communis. Secundo, quia non potest species ultima constitui sola coniunctione duarum differentiarum communium, quia quaelibet earum differentiarum constituit speciem subalternam et genericam; species autem ultima non est aggregatum duarum specierum subalternarum, alioqui neque esset una propria et specialis essentia, neque esset unum compositum metaphysicum ex proprio actu et propria potentia constitutum. Ut, verbi gratia, in illo exemplo de homine, si rationale et mortale sumerentur ut differentiae subalternae et communes, nunquam ex aggregatione illarum constitueretur homo; sed sumendum est rationale ut est proprium hominis, id est, ut includit discursum seu aptitudinem ad illum; hoc autem modo rationale erit simplex differentia propria hominis, mortale vero est de se differentia subalterna et communis, non quidem aliis ratione utentibus, nullum est enim rationale aut intellectuale mortale praeter hominem, sed aliis sentientibus aut viventibus. Sic ergo in omnibus speciebus rerum contingit. Et hoc est quod Aristoteles

dixit, VII Metaph., text. 43, procedendum esse in divisione differentiarum communium, *donec ad indifferentia deveniatur*, id est, ad ultimas et omnino proprias differentias, ut D. Thomas et omnes exponunt; *et tunc* (inquit Aristoteles) *tot erunt species quot differentiae. Quaelibet enim individualis differentia* (addit D. Thomas) *constituet unam speciem* specialissimam.

24. *Intermediae differentiae finito numero clauduntur*.— Hoc autem principio posito, quod differentiae intermediae tantum esse possint in numero finito, declaratur in hunc modum. Et primo, si differentiales gradus essent in re ipsa distincti, evidens est non posse esse nisi finitos, quia essent actu plures; ergo finiti vel infiniti, in re autem finita non possunt esse infiniti gradus perfectionum distinctarum; erunt ergo finiti. Eo vel maxime quod illi gradus non intelliguntur esse inter se communicantes, sicut partes proportionales, sed omnino condistincti et indivisibiles; neque etiam ita comparantur ad rem sicut puncta ad lineam, quae ita sunt indivisibilia ut non augeant quantitatem lineae; sed unaquaeque differentia addit certum gradum ac quasi determinatam partem perfectionis, ex quarum partium coniunctione consurgit integra perfectio speciei, quae, cum finita sit, non potest nisi ex finitis quasi partibus consurgere. Unde, sicut in latitudine intensiva qualitatis finitae non possunt distingui nisi finiti gradus inter se non communicantes, ex quorum coniunctione consurgat tota qualitatis intensio finita, ad eumdem modum est in gradibus differentialibus proportionate philosophandum. Quamvis autem hi gradus iuxta veriorem sententiam in re non distinguantur actu, tamen discursus factus eamdem vim habet in ordine ad distinctionem et conceptionem mentis nostrae, quia etiam ut ratione distincti, concipiuntur ut inter se non communicantes, si gradus ipsi praecise ac formaliter sumantur, ut sumi debent. Nam una differentia subalterna non includit aliam, quia neque inferior est de conceptu superioris neque e converso; sunt ergo differentiales gradus intermedii omnino condistincti et non communicantes inter se; ergo ex hac parte distinctio illorum, etiamsi sit secundum rationem, non potest procedere in infinitum nec comparari potest cum divisione partium continui. Aliunde vero quilibet illorum graduum indivisibilis est secundum conceptum; nam quaelibet differentia, sive generica sive specifica, indivisibilis est, estque taliter indivisibilis ut augeat essentialiter rei perfectionem in ordine ad conceptum mentis; ergo etiam in ordine ad mentis conceptum non potest essentia finita dividi vel constitui per huiusmodi differentias nisi numero finitas, quae cum indivisibiles sint, non poterit in earum divisione procedi in infinitum.

25. Et ita manet efficax consequentia facta in tertia ratione; et cessat obiectio insinuata in secunda evasione, quia in re finita non possunt contineri, etiam in potentia, infinita inter se non communicantia et augentia perfectionem seu quantitatem rei. Quare, si semel concipiantur et ratione distinguantur omnes differentiae quae in essentia rei fundari possunt, earum numerus augeri non poterit, sive respectu rerum existentium sive possibilium; per illas enim convenit aut differt ab omnibus, tam quae sunt quam quae esse possunt.

26. Et inde etiam facile excluditur prior obiectio, nam quacumque ratione multiplicentur differentiae, et sive subordinatae sint inter se sive non, non possunt esse nisi in numero finito propter dictam causam; quia, scilicet, finita perfectio non potest etiam mente dividi in plures quasi partes inter se non communicantes, nisi solum in numero finito. Probabilius autem est differentias omnes quae ad unius essentiae constitutionem conveniunt esse aliquo modo inter se subordinatas ut potentiam et actum; alias non possent unum per se constituere. Neque etiam est verisimile in hoc committi circulum, cum habitudines actus et potentiae adeo sint inter se oppositae.

27. Quocirca, quamvis idem genus variis modis a nobis dividatur, non tamen semper dividitur per proprias et immediatas differentias quibus proxime contrahitur et actuatur; et ideo fieri aliquando potest ut duae differentiae inter se comparentur ut actus et potentia. Ut in exemplo posito, licet substantia dividi possit per *corpoream* et *incorpoream*, *viventem* et *non viventem*, semper prior divisio est immediata et proxima; cuius signum est quod illa sumitur

quasi ex intrinsecis principiis et absoluta entitate rei, haec vero sumitur in ordine ad operationem; et ideo differentia viventis, prout est in rebus corporeis, semper comparatur ut actus et non ut potentia ad gradum corporeum. Et quamvis illa differentia reperiatur etiam in rebus incorporeis, tamen reperitur longe diverso modo, quia substantia incorporea est (ut ita dicam) totaliter vivens, id est, vivit ratione totius substantiae suae, corporea vero ratione partis; quo speciali modo sumi videtur cum ponitur differentia corporis. Et quamvis demus posse dari communem differentiam viventis abstrahentem ab illis duobus modis, inde ad summum fit aliqua genera non subalternatim posita habere differentiam communem, quod fortasse non est inconveniens; ita enim censuit Aristoteles, VI lib. Topic., de quo alias.

28. *Alia pro conclusione ratio Aristotelis*.— Sic igitur satis declarata et confirmata manet tertia ratio; et prima etiam ex praedicto discursu robur accipit. Secunda vero, si non de proprietatibus in rigore, ut dicunt facultates operandi aut aliquam aliam rem a substantia distinctam, sed de quolibet modo essendi vel operandi intelligatur, defendi potest, quia haec genera et differentiae maxime distinguuntur a nobis per ordinem ad aliquam proprietatem huiusmodi. Ultimo addit Aristoteles aliam rationem, nempe, quia si in his differentiis esset processus in infinitum, nunquam posset res a nobis satis distincte cognosci aut definiri, quia cognitio seu definitio omnino distincta incipit a supremo genere, et per adiectionem omnium differentiarum pervenit usque ad ultimam; quod fieri non posset si illae essent infinitae. Quod maxime habet locum in cognitione humana, quae paulatim procedit ab una ad aliam, quo modo impossibile est in infinitum pertransiri successive numerando, ut constat ex III Phys., c. 7, et satis est per se notum.